



HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
VE
RI
TAS
CHRISTO ET ECCLESIAE

Quae ratio intercedat inter Dionis Cassii de Caesaris bellis Gallicis narrationem et commentarios Caesaris de bello Gallico.

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum ordine Erlangensi

rite capessendos

proposuit

Joannes Will,


Bambergensis.

Rigorosum sustinuit a. d. VIII. Id. Mai. MCMI.

Bambergae.

Typis Gaertnerianis.

MCMI.



Comparantibus nobis Dionis Cassii de rebus a Caesare in Gallia gestis narrationem cum Caesaris de bello Gallico commentariis ut occurrunt permulta, quae eodem ab utroque auctore traduntur modo, ita in nonnullis rebus alter ab altero magis minusve discrepat aut discrepare certe primo aspectu videtur. Exsistit igitur quaestio, unde profecta sint illa discrimina, id est aliis verbis, commentariisne Caesaris Dio Cassius in conscribendis rebus gallicis omnino usus sit, an praeter illos alios quoque rerum scriptores adhibuerit an ex uno commentariorum fonte sua sumpserit. Quod quomodo se habeat, cognoscere haud exigui est momenti, cum eo et Caesaris quae sit in commentariis fides appareat (id quod saepissime in disceptationem vocatum ab aliis alio modo est profligatum), et Dio Cassius quam rationem in conscribendis illis rebus secutus sit quaeque ei tribuenda sit auctoritas; quae si hac in parte Dionis historiae illustrata erunt, quin ad ceteras quoque iure transferri possint dubium non est.

Ob hanc ipsam gravitatem illa quaestio instituta est a plurimis viris doctis, qui quid in medium protulerint, admodum breviter exponam.

Ac primum quidem exstiterunt, qui existimarent Dionem Cassium in universum quidem Caesarem esse secutum, quasdam autem res ex aliorum rerum scriptorum libris hausisse. Praeter ea, quae nonnulli superiorum temporum in publicum ediderunt, F. Eyssenhardt[1]) Dionis Cassii narrationi praeter Caesaris commentarios aliorum quoque eorumque haud mediocrium fontium

[1]) Bemerkungen zu der Frage über die Glaubwürdigkeit von Cäsars Commentarien, Jahrb. f. klass. Philol. LXXXV, p. 755 sq.

vestigia subesse conatur demonstrare. — Eichheim in libris suis [1]), ut quam recte neget Caesaris commentariis quidquam veri inesse ostendat, multis locis Dionis opere nititur. — Grasshofio [2]) Dio pendere videtur ex Livio et Caesaris commentariis et Asinii Pollionis historia uso. — G. Thouret [3]) etsi ceteris fere in rebus commentarios fontem Dionis fuisse, tamen hunc in describenda pugna cum Ariovisto commissa alium quendam auctorem secutum esse existimat. — Ea, quae Eichheim in medium fert, ad rationem quandam redigere conatus Rauchenstein [4]) et ipse nonnulla Dionis ex Livio repetenda esse arbitratur.

Aliter atque hi omnes de hac re primus censuit D. G. Jelgersma [5]), qui unum Dionis fontem Caesaris commentarios fuisse exposuit. Quam sententiam solam rectam esse videbimus; sed nimiam laudem huic libello H. Haupt [6]) tribuisse videtur. Jelgersma enim quamvis magna utatur diligentia ac subtilitate, tamen multa, quae cum Dio Cassius aut alio atque Caesar modo tradat aut tradere videatur, sunt disserenda, omnino omittit plurimis in eiusmodi locis in medium quidem allatis nullam tollendae illius difficultatis rationem inire conatur; quod ubi facit, ea plerumque neglexit, quae nos hodie magnis ei quaestioni allatis incrementis deside-

---

1) Die Kämpfe der Helvetier, Sueben und Belgier gegen Cäsar. Neue Schlaglichter auf alte Geschichten, Neuburg 1866; 2. Aufl. Neuburg 1876.

2) De fontibus et auctoritate Dionis Cassii Cocceiani, Bonnae 1876.

3) De Cicerone, Asinio Pollione, C. Oppio rerum Caesarianarum scriptoribus; Leipz. Studien z. klass. Philol. I. p. 324—346.

4) Der Feldzug Cäsars gegen die Helvetier; eine kritische Untersuchung mit einer vorausgehenden Abhandlung über die Glaubwürdigkeit der Commentarien Cäsars über den gallischen Krieg, Zürich 1882.

5) De fide et auctoritate Dionis Cassii Cocceiani, Lugduni Batavorum 1879.

6) Jahresbericht zu Dio Cassius, Philologus, XLIII, p. 679.

ramus. — Idem fere atque Jelgersma censet H. Haupt [1]), singulas res tantummodo leviter attingens. — Eandem rationem sequitur Petsch [2]), cum nonnulla, quae a Dione aliter atque a Caesare narrantur, nequaquam ex alio fonte sumpta esse demonstret.

Novam quandam in hac re viam ingressus Melber [3]) Dionem in conscribendis Helvetiorum emigratione et bello cum Ariovisto gesto nullo fonte nisi Caesaris commentariis usum esse luculentissime ostendit.

Hoc loco ceteros commentariorum libros, qui quidem a Caesare ipso conscripti sint, perlustrabo. Quod antequam aggredior, tertiam eamque novam de hac re sententiam refellere conabor. His enim annis praeter pauca illa, quae N. Vulic [4]) et Schwartz [5]) ad eam rem contulerunt, in ea M. A. Micalella elaboravit et, quae invenit, libro suo: ‚La fonte di Dione Cassio per le guerre gallische di Cesare; esame critico delle guerre contro gli Elvezi e contro Ariovisto' Lecce, 1896, in publicum edidit (Censuram libri scripsit P. Ercole, Riv. di. filol. XXV, p. 125—130).

Hoc de Micalellae libello simulque occasione oblata de Schwartzii argumentis priore huius dissertationis capite agam, ne ad cetera transeam nisi contrariis sententiis reiectis.

[1]) Jahresbericht zu Dio Cassius, Philologus, XLI, p. 152—158; XLIII. p. 678—679.

[2]) Die historische Glaubwürdigkeit der Commentarien Cäsars vom gallischen Kriege nach gegenwärtigem Stande der Kritik, Glückstadt I. 1885; II. 1886.

[3]) Der Bericht des Dio Cassius über die gallischen Kriege Cäsars, I: Die Kriege mit den Helvetiern und gegen Ariovist, München 1890.

[4]) Cäsars Kriege mit den Helvetiern und Ariovist bei Dio Cassius; Blätter f. d. bayer. Gymnasialschulwesen, a. 1900, p. 221—223.

[5]) Pauly-Wissowa, Real-Encyklopädie d. kl. Alt., III. Bd. 1899, p. 1700—1708, ubi Sch. hoc tenet his in partibus Dionem secutum esse Livium.

I.

Haec est sententia Micalellae: Tantum inter Dionis Cassii narrationem et commentarios Caesaris interest, ut nequaquam fieri possit, ut ille commentariis usus sit; sed auctoritate unius Asinii Pollionis historiae eum niti verisimillimum est, ut e Dione Cassio. quae sit fides Caesaris in commentariis, utique intelligas. Is. qui de libro iudicium et censuram scripsit, etsi paucis locis a Micalella allatis Dionem cum Caesare discrepare negat neque ea, quae ille postremo capite de Asinio Pollione disserit, comprobat, in universum tamen et ipse Dionem praeter Caesarem alios quoque rerum scriptores ante oculos habuisse existimat et Micallellae diligentiam, scientiam, acumen summis laudibus effert. Quae quam falsa sint, ut ostendamus, singula Micalellae argumenta refellamus necesse est.

In ipso eo capite, unde exordium sumit Micalella, disserens de fide commentariorum Caesaris, nonnulla inveniuntur, quae minime comprobes. Falso enim Micalella contendit (p. 5) singulas utriusque scriptoris res adhuc inter se non esse comparatas. Nescire videtur hac in re et Jelgersmam et Melberum elaborasse, quorum neutrius ullo libelli sui loco mentionem facit.

Recte M. (p. 6) dicit Dionis narrationem tum quoque, si ab alio quodam scriptore repetita est, multis in rebus cum commentariis congruere necesse esse. Sed apud Dionem, id quod omnes fere homines docti consentiunt, saepissime et in omnibus fere capitibus plurima ad verbum e commentariis translata esse videntur, tantaque reperitur multarum rerum similitudo, ut commentariis eum usum esse nemo possit negare, qua ipsa re homines docti, quippe qui cum quantum commentarii in conscribendis de bello Gallico historiis valerent, tum quae esset Dionis in excerpendo ratio, considerarent, adducti sunt ad investigandum, nonne etiam nonnulla ea, quae apud Dionem alio atque apud

Caesarem modo scripta sunt aut esse videntur, nullo altero fonte adhibito ex aliis quibusdam causis essent repetenda. Hoc unum igitur opus tota re restabat, quo si ea, quae iam antea desiderabantur, erant confirmata, una cum summa illa ceteris in rebus similitudine satis erat ad colligendum commentarios solum Dionis fontem fuisse. Nam si ex eo, quod et plurima apud illos congruunt et ad expedienda discrepantia nullo alio opus est rerum scriptore, nihil licet cogere, tota nostra fontium iudagandorum ratio caret fundamento.

Id, quod M. exeunte hoc capite (p. 7) dicit, etsi a Dionis negligentia, levitate, inscientia nonnulla essent repetenda, tamen restatura esse quaedam, unde alterius rerum scriptoris vestigia exsisterent, nobis nullius est momenti, quod M. libellum Melberi neglexit, qui praeter illa Dionis vitia multa eaque gravissima et sine dubio comprobanda comprobataque argumenta contulit.

Transeamus ad singulas res.

Dionis verba (38, 31, 1): *Καῖσαρ δ' εὗρε μὲν οὐδὲν ἐν τῇ Γαλατίᾳ πολέμιον, ἀλλὰ ἀκριβῶς πάντα ἡσύχαζεν, οὐ μέντοι καὶ ἐν εἰρήνῃ διεγένετο, ἀλλὰ καὶ αὐτομάτου τὸ πρῶτον πολέμου τινὸς αὐτῷ συμβάντος ἕτερος συνηνέχθη, ὥστ' αὐτὸν, ὥσπερ ἐς τὰ μάλιστα ἐπεθύμει, πάντα καὶ πολεμῆσαι καὶ κατορθῶσαι* (M. p. 9) profecta esse apparet ex eius studio, quo cum singulis in rebus tum ineunte vel exeunte aliarum atque antea rerum narratione intimum cuiusque animum penitus percognoscere et, quibus causis adducti homines agant quaeque in agendo appetant, investigare conatur. Recte quidem M. his verbis Dionem ostentare dicit, quomodo de Caesaris bellis gallicis sentiat, cum apud Caesarem nihil eiusmodi inveniatur. Neque magis est, quod nos, id quod omnes homines docti consentiunt, doceat commentarios Caesarem non satis incorrupto iudicio conscripsisse, sed hoc potissimum spectasse, ut se ipsum a maxime variis criminibus defenderet. At, quod nos ex ipsis commentariis et ex eis, quae postea

facta sunt, facillime cognoscimus, id Dio quoque non poterat non intelligere, Caesarem, ut ducebatur gloria, iam illo tempore maiora appetivisse, quae, quacunque poterat ratione, adipisci studebat. Accedit, quod Dio sine dubio a Caesare cum duce tum principe mirum in modum abhorret, id quod, ubi de consiliis eius agit, maxime perspicuum est, sed non tantum quantum Jelgersma (p. 73) vult in factorum narratione valet. Desjardins[1]) denique non ita falso scribit Dionem, quo loco tum res gallicae fuissent, non recte iudicasse. Gallia enim iam pridem Romanorum animos ac studia in se converterat (si M. [p. 10] pro testimonio affert Cic. epist. a. Attic I. 20, 5, nobis liceat niti epistola I. 19, 2), ut, etsi fortasse illo ipso tempore nihil infesti Caesar ibi invenit, tamen res Gallorum semper omnium animos occuparet et Caesar nihil aliud faceret quam quod omnes Romani iam pridem flagrantissime concupiverant, id ad veritatem revocaret[2]). Cognoscere autem Caesarem e bello Helvetico initio sumpto quasi ex origine fonteque totius Gallicae expeditionis facile alia potuisse conflare, non est eximii ingenii acuminis, ut risum paene movere videatur contendere (M. p. 10) fieri non posse, ut is, qui illud invenerit, aliis in rebus erret. Sed, si haec Micalella non comprobet, liceat nobis reicere ad 37, 52, 1, ubi Dio eadem de eodem Caesare dicit: *Καὶ δυνηθεὶς ἂν (ὁ Καῖσαρ) τὰ ληστικὰ ἄνευ .... καθήρας ἡσυχίαν ἔχειν, οὐκ ἐθέλησε. δόξης τε γὰρ ἐπιθυμῶν καὶ τὸν Πομπήιον τούς τε ἄλλους τοὺς πρὸ αὐτοῦ μέγα ποτὲ δυνηθέντας ζηλῶν οὐδὲν ὀλίγον ἐφρόνει* et infra (37, 52, 3): *ἀπ' οὖν τούτων, ἐξὸν αὐτῷ εἰρηνεῖν, ὥσπερ εἶπον, πρὸς ... ἐτράπετο.*

Quodsi Micalella Dionem illa verba non nisi alio quodam harum rerum scriptore nisum facere potuisse contendit, hoc ei opponat quis eum id, quod supra (37, 52)

[1]) Géographie historique et administrative de la Gaule Romaine II. p. 889—890.

[2]) cf. Mommsen, römisch. Gesch. III. p. 222.

in conscribendis illis rebus in fonte suo invenerat, ad haec bella, ubi res simili loco sunt, transtulisse. Sed apparet Dionem cum illic tum hic omnibusque eiusmodi locis velut in enarrando bello Ariovisti (38, 34, 1) ipse quae de quaque re sentiebat exposuisse; cuius rei documento esse videtur illud ipsum, quod iterum ac saepius id repetit et quodammodo quam vera ea, quae ipse opinetur, sint, eventu docet elato quodam animo. Abhorret denique a proposito, utrum ad hanc de Caesare sententiam ipse per se pervenerit an alio quodam scriptore lecto adductus sit (velut Suetonio, cui Dionem operam dedisse Jelgersma [p. 71] ostendit, cf. Caes. c. 24: ‚nulla deinde belli occasione, ne iniusti quidem abstinuisse tam foederatis quam infestis ac feris gentibus ultro lacessitis adeo, ut‘ e. sqq., aut alio quodam eiusmodi auctore, quos autem, cum non de bello gallico agant, non est, quod in hac quaestione respiciamus).

Inde, quod Helvetii trium mensium cibaria secum tulerunt (Caes. I. 5, 3), minime colligi posse (M. p. 10) eos fines, per quos iter erant facturi, infestare non voluisse, iam Ercole, qui libelli censuram conscripsit, rettulit (p. 125). Neque vero illa re eos prohibitos esse, quin aliorum agros depopularentur, apparet ex eis, quae postea acciderunt et apud Caesarem (I. 11, 1) et apud Dionem (39, 32, 2: τὴν χώραν αὐτῶν ἐλεηλάτουν).

Quod Micalella dicit (p. 10) Gallos, quamquam ab Germanis victoribus premebantur, tamen iugum cum silentio ac timore tulisse, demonstrare velle videtur, quantum illorum animi a bello abhorruerint. Sed, quomodo Galli adversus Germanos se gesserint, ad rem propositam nihil valere manifestum est.

Micalellae (p. 11) Dio alio modo atque Caesar exponere videtur, quibus causis adducti Helvetii e finibus suis egressi sint. Hac de re disseruerunt, ita quidem, ut ad eundem atque nos pervenirent exitum, iam Jel-

gersma (p. 14 sqq.), Haupt[1]), Petsch[2]), Heller[3]), Melber (p. 60), qua de re omnino fere ea praeteribo. Minime Caesar, id quod Micalella a veritate deflectens dicit, Helvetiorum migrationis causam eorum pugnandi praedandique cupiditatem, sed cum alias, tum hanc affert (I, 2 7). Quae apud Caesarem praeter ea, quae apud Dionem invenimus, scripta sunt, ad quaestionem nostram profligandam nullius sunt momenti, sed satis est ostendere Caesarem quoque Helvetiorum profectionis causam nimiam eorum multitudinem afferre (I, 2, 5), id quod Dio cum summum esse recte censeret solum elegit et literis mandavit. Micalella autem hoc loco sicut multis aliis oblitus est Dioni, quippe qui pro natura operis sui res gestas summatim perscriberet atque in angustum cogeret, non omnia, quae apud Caesarem leguntur, licuisse afferre. Qua de re sublato fundamento ea, quae M. pulcherrime ac multis verbis de gloria stimulatrice disserit, ad irritum cadunt.

Hoc loco Schwartz quoque, ut Livium Dionis fontem defendat, nititur (p. 1700), cum dicat Florum atque periochas consentire cum Dione contra commentarios. Sed, quod Florus scribit: „non sufficientibus terris‘ (I, 45, 2), quippe qui res in universum exhibeat, eam solam affert causam, quae ei videtur gravissima. Cum autem Florus prodat primum Galliae motum coepisse ab Helvetiis (I, 45, 2), rem similiter atque Caesar, aliter atque Dio tradit, cum rerum auctores ei videantur Helvetii (cf. infra quoque: H. p. bellicosissimam gentem (I, 45, 3)). Quod autem attinet ad periochas, ex verbis in universum patentibus: quae sedem quaerentes et sqq. (CIII, p. 91, 10, 11) nihil certi, quae fuerit causa col-

1) Jahresbericht zu Dio Cassius, XI, I, p. 153—154.
2) [illegible] p. 21 [illegible] 22.
3) [illegible] Philol. Anzeiger XIV, [illegible]

ligi potest. Praeterea periochae quoque Helvetios vagam gentem nominantes prope accedunt ad commentarios.

Helvetios autem non tam innocenti tamque quieto fuisse animo, quam Micalellae placet, perspicuum est e Dione (38, 31, 2): *τοῖς λυπηθεῖσί ποτε ὑπ᾽ αὐτῶν* (id quod de suo eum addidisse infra videbimus) et (38, 31, 4): *ὃς (Καῖσαρ) εἰ καὶ τὰ μάλιστα μήτε ἐπίστευεν αὐτοῖς.* Ex eo, quod ne Dioni quidem Helvetii pacis amatores videntur, intellegas hunc non eo scriptore, qui nimiam hominum multitudinem solam profectionis causam afferat, uti, sed Caesaris commentariis ad hanc de Helvetiis sententiam esse adductum. Micalella denique ipse infra (p. 20: popoli ferventi come erano), ubi id, quod supra negavit, ad argumenta sua accommodare putat, loquitur de sublimibus Helvetiorum animis minimeque moderatione assuetis (cf. etiam p. 13: I popoli vicini già molestati da loro per lo innanzi sono i Germani, che ora pare abbiano preso il sopravento), id quod male consentit cum modestia eorum ab eo hoc loco collaudata.

Ab sententia verborum (38, 31, 2): *μέρος μέν τι ἐκπέμψαι ἐς ἀποικίαν οὐκ ἠθέλησεν, μὴ καὶ διασπασθέντες εὐεπιβουλεύτεροι τοῖς λυπηθεῖσί ποτε ὑπ᾽ αὐτῶν γένωνται, πάντες δὲ δὴ ἀπαναστῆναι βουληθέντες* Micalella (p. 13), etsi recte ea reddit, paulo infra deflexisse videtur. Neque enim Dio dicere vult, (id quod Micalellae videtur) Helvetios propterea e finibus suis profectos esse, ne eorum, quibus unquam iniuriam intulerant, ultioni offerrentur, id est metu illorum coactos, sed verbis: *μὴ καὶ διασπασθέντες εὐεπιβουλεύτεροι τοῖς λυπηθεῖσί ποτ᾽ ὑπ αὐτῶν γένωνται* continetur causa, cur omnes, non singuli coloni emigrare velint, ut, si verbo: *διασπασθέντες* id, quod opus est, pondus attribuas, haec nascatur sententia: ,omnes emigraverunt, ne, si distracti essent (singulis coloniis deductis), facilius et, qui relicti essent, et qui emigrassent, vexari possent', id quod non tam metuentium quam prudenter atque caute agentium est. Hoc ap-

paret additum esse a Dione ipso mirante, quod Helvetii, ut malum e medio tollerent, id, quod alias fieri solet, colonias non miserunt, sed omnes profecti sunt. Ut hac in re nihil dissentit a Caesare dicente universum Helvetiorum populum alias gentes nequaquam timuisse, ita ex illis Dionis verbis cogi potest Helvetios nunquam non paratos fuisse, armis auctoritatem suam interponere, id quod usu comprobatum est.

Dio postquam nimia hominum frequentia adductos Helvetios e finibus suis egressos esse narravit, idem, quo est causas afferendi studio, de ceteris quoque gentibus una cum illis profectis dicit (38, 31, 3): *τῶν αὐτῶν δεομένους.*

Dionis verba (38, 31, 3): *καὶ τινας καὶ ἑτέρους προσλαβόντες* minime, ut Micalella opinatur (p. 14), repugnant cum commentariis. Nam voce *προςλαβεῖν*, quae latius patet secundum Graecorum loquendi consuetudinem (cf. apud nos ‚mit'), continetur etiam agendi quaedam vis (actio proficiscitur ab Helvetiis), id est hoc loco adhibendi vel etiam persuadendi. Etsi harum quoque gentium migrationis insita causa fuisse potest nimis magna copia, tamen causa extrinsecus superveniens erat sine dubio profectio Helvetiorum, qui si iter non fecissent neque, quippe qui essent maior pars, illas gentes adhibuissent, ne hae quidem profectae essent. Et verbo *προσλαβόντες* Dio Caesaris verba: ‚sibi adsciscunt' (I, 5, 4) transtulit. Quod apud Caesarem id pertinet ad solos Boios, Dio, id quod brevitati serviens facere solet, omnes gentes, hac in parte Rauricos, Tulingos, Latovicos, illa Boios in unum coegit nullo discrimine servato et verbo *πρασλαβεῖν*, quod latius patet, usus est. Neque igitur est, quod Vulicium sequamur dicentem (p. 221) Dionem Caesaris verbum ‚adsciscunt' (quod ipsum per se in duas partes valere recte docet) contrarium esse verbo ‚persuadent' existimasse et ea, quae Caesar de Rauricis dicat, plane neglexisse. Nam perverse Vulic interpretatus est Dionis verba *τῶν αὐτῶν δεομένους,* cum

dicat: „Aus Cäsar ist nicht mit Sicherheit zu schliessen, dass jemand die Helvetier gebeten habe, ihn auf der Reise mitzunehmen.“ Neque enim verbum δεῖσθαι hoc loco idem significat atque ‚orare‘ (nam apud Dionem scriptum est τῶν αὐτῶν, quod Vulic neglexisse videtur, non αὐτῶν, neque magis hic agitur de quoquam, qui eadem (τὰ αὐτὰ) orat, quoniam nemo omnino quidquam oravit), sed ‚egere‘ (earundem rerum, id est maiorum finium).

Cum Caesar (I. 4, 3) memoriae tradat Orgetorigem iam ante migrationem mortuum esse, Dio (38, 31, 3) dicit Helvetios duce Orgetorige esse profectos. De hoc Dionis errore et quomodo ad eum adductus esset, iam satis Melber (p. 60) disseruit. Postquam iam supra Dionis acumen atque diligentiam non tantam fuisse statuimus, et infra saepissime statuemus, quanta videtur Micalellae, quidquid hoc loco (p. 14) inde collegit, ultro ad irritum cadit. Quam mirum autem, quod Micalella a se impetrare potest, ut confiteatur fontem a se laudibus maximis celebratum hoc loco errare potuisse. Et praeter ea, certe quidem, si re vera est fons, quem M. opinatur, illa praestantia, minime ei licuit ad tantam progredi negligentiam, ut hoc modo loco Orgetorigis mentionem faceret ducis, infra autem nihil iam de eo adderet. Et Dionem quoque, quem a fonte suo aliquantum unquam decedere M. negat, idem facere necesse fuit, quod quidem non fecit (Haec non plus sibi tribui volunt quam ut veri similia videantur). Sed ne Ercoleo quidem, qui Micalellae libelli censuram fecit, consentio verba Ὀργετόριγός σφισι ἡγουμένου ita definienti (p. 126): ‚Orgetorige auctore‘. Nam praeterquam quod fieri non potest, ut Dio, postquam multis verbis, quae essent causae profectionis quaeque ad eam pararentur exposuit, tum demum, cum ad ipsam migrationem describendam transit, subito de Orgetorige loquatur quasi eius auctore, ἡγεῖσθαι de eo fere dici potest, qui suo ipsius exemplo

ceteris auctor est, ut se in aliqua re sequantur, qui igitur ipse ei rei interest (cf. 40, 5, 1: *ἡγουμένου σφισὶν Ἀμβιόριγος*; 40, 33, 1: *ἡγουμένου σφων Οὐερκιγγετόριγος ἀπέστησαν*), ut ex ea interpretatione hoc loco ad tollendam difficultatem nihil fructus percipiamus.

Haec Micclellae (p. 15): ,Al nostro argumento non importa sapere dove stia il vero, quale narratione si debba accettare', etsi hac in re et eiusmodi aliis valent, tamen non utique sunt comprobanda. Nam si quid apud alterum scriptorem falsi aut absurdi aut cum ceteris rebus non consentanei nobis occurrit, hoc ob illud ipsum per se suspicionem moveat necesse est, et etiam Micalella, ubi ea, quae ipse censet, confirmare posse sibi videtur, multa verba facit, utrum Dionis an Caesaris narratio sit verisimilior.

Non magis reperitur apud Caesarem, quod Dio dicit (38, 31, 3): *ἐν νῷ ἔχοντες τὸν Ῥοδανὸν διαβῆναι καὶ πρὸς ταῖς Ἄλπεσί που κατοικισθῆναι.* Sed hoc quoque minime convenire cum vero, iam is, qui de libello iudicium scripsit, uberius et rectissime exposuit (p. 126—127), ut nos, ne aliena repetamus, ea omittamus id solum adicientes fontem illum a Micalella tantopere collaudatam hic iterum habiturum esse vitium, quod nihil haberet excusationis. Sed quomodo adductus est Dio ad hunc errorem? Auctor, quippe qui ubique ipse a se quaerat, quo quidque consilio fiat et quo spectet, cum hoc loco apud Caesarem nihil de terra, quo Helvetii sunt profecturi, invenerit (Caesaris enim commentariosque Romae legentium hic nihil intererat, ubi Helvetii sedes constituere vellent, sed hoc solum, eos per Romanorum fines iter esse facturos, quod ne fieret impediendi ius potestatemque Caesar habuit), ipse suo arbitrio regionem quandam tradit, sed tam vage (cf. *πρὸς ταῖς Ἄλπεσί που*), ut eo ipso suspicionem moveat. Hoc ei verisimillimum videtur, quod Helvetios in meridiem versus proficisci videt neque iam meminit illo rerum statu effici, ut ei, qui in

regionibus ad occidentem spectantibus sedes collocaturi sunt, iter ad meridiem versus faciant. Alterum quendam fontem, si quo hac in re usus esset Dio, similiter atque supra necesse fuit viae mutationis proprie mentionem facere, et hunc secutum etiam Dionem. Quod non facit (neque enim hoc verbis πρὸς ταῖς Ἄλπεσί που κατοικισθῆναι e. sqq. contineri iam Ercole recte iudicavit), sed ea, quae sequuntur, continuationem quandam itineris coepti nullo commutatae viae vestigio tradit. Partim similibus atque Ercole causis, partim eisdem Vulic Dionis narrationem abhorrere a veritate disputat (p. 221—222).

Micalella deinde non recte dicit (p. 17—18) inde, quod Caesar legatis respondet diem se ad deliberandum sumpturum, si quid vellent, ad Id. April. reverterentur (Caes. I. 7, 6), cogi posse Caesarem Helvetios omnino in dubio reliquisse. Minime. Nam ex eo ipso, quod legati non illico a Caesare itineris repulsam tulerunt, sed responsi causa reverti iussi sunt, spem capere eis licuit se, quod peterent, adepturos. Et si re vera Caesar concedentis speciem non prae se tulisset, certe Helvetii non diutius morati essent. In concludendo Micalellam ipsum sibi contradicere apparet. Dionis enim narrationem magis consentaneam cum natura, commentariis contrariam dicit, paulo post eam etiam ex Caesare illud significante quidem repeti posse. Quod si concedit, non licet ei contendere, dissentire Dionem a commentariis. Ceterum, quod attinet ad illam naturae convenientiam, ad quam Micalella arbitratur Dionem sine alterius fontis auxilio non nisi eximia usum ingenii praestantia atque acumine pervenire potuisse, mihi quidem contrarium videtur. Nam ea, quae naturae consentanea sunt, quae eodem rerum statu eodem fere modo semper evenire solent aut possunt, affere, cum ex fonte aliquid singularem in modum gestum esse intellegas, hoc est potius negligenter excerpentis, qui quidem suo arbitrio ita res depingit, ut fieri eas solere videt. Huic rei consentanea

vel potius consequens est consuetudo quaedam Dionis, de qua infra disputabimus.

E Dionis verbis (38, 31, 4) *κἂν τούτῳ τὰ ἐπικαιρότατα διετάφρευσε καὶ ἀπετείχισε* unum hoc cogi potest Dionem hoc loco Caesaris verba (I. 8, 1—2): milia passuum .... sedecim fossamque perducit. Eo opere perfecto praesidia disponit, castella communit, quo facilius, si se invito transire conarentur, prohibere possit' recte interpretatum esse; minime autem sequitur, ut Dioni ad id inveniendum eximia opus fuerit ingenii acie, aut, quod de ea re recte iudicavit, fieri non possit, ut ceteroquin in errore versetur.

Verum deinde est, quod Micalella (p. 19) dicit Dionem alterius Helvetiorum legationis nullam fecisse mentionem, sed minus recte Dioni fidem tribuit Helvetios iterum legatos misisse neganti. Quod quomodo ab indiligentia Dionis profectum sit, iam Melber demonstravit (p. 61). Perverse M. de Dionis verbis iudicat, cum dicat apud Dionem aliter quam apud Caesarem Helvetios, certiores factos Caesarem die constituta non exspectata aggressum esse ad munitiones exstruendas, profectos esse, id est ante illam diem (nam antea munimenta coepta esse apparet). Nam ex verbis *ἐπειδὴ μηδὲν ἤκουσαν κατὰ τὸ συγκείμενον* (38, 32, 1), cum dies quaedam, ut ipse dicit M., convenisset (utrum ea die responsum in suis an Caesaris castris abstulerint, nihil interest) cogitur Helvetios usque ad illam diem remansisse. Hoc solum igitur inter Dionis et Caesaris narrationem interest, quod apud hunc legati iterum venerunt (I. 8, 3), sed illico repulsam tulerunt, apud illum ea die frustra responsum exspectabant. Quod, si eventum respicias, fere idem est, ut apud Dionem Helvetiorum ad munitiones profectio nequaquam, ut Micalellae videtur, probabilioribus argumentis confirmata sit. Hoc loco M., ut ea, quae a Dione aliter atque a Caesare tradi putat, quae re vera non tantum inter se discrepare cognovimus,

sustentet, eo progreditur, ut, quod supra omni ope atque opera studet negare, id ipsum concedere videatur: Cum apud Caesarem Helvetii diem constitutam opperiantur, apud Dionem, quod secundum Micalellae sententiam iam antea proficiscuntur, multo magis belli amatorum speciem praebent.

Deinde Micalella (p. 20) agit de loco (38, 32, 1): *τὸ μὲν πρῶτον διὰ τῶν Ἀλλοβρίγων ἐπορεύοντο ᾗπερ ὥρμηντο, ἔπειτ' ἐντυχόντες τοῖς κωλύμασι ἐς Σηκουανοὺς ἀπετράποντο.* Jure ostendit Dionem noluisse tradere Helvetios per eos qui citra (e regione Romanorum) Rhodanum siti sint Allobrogorum fines iter fecisse, sed ea, quam primam huius rei causam affert, falsa est. Neque enim verbis: *ᾗπερ ὥρμηντο* significatur: ‚per quos iam antea profecti erant', sed: ‚quo iam antea in mente habuerant (proficisci)'. Deinde M. etiam verbum: *ἐπορεύοντο* neglecto tempore imperfecto perperam interpretatus est; quod si recte ita reddimus, ut eos per Allobrogum fines proficisci voluisse statuamus, iam ultro verum exsistit. Neque igitur Dio, id quod M. adductus illis verbis male intellectis opinatur, Allobrogum fines ab ipso inter lacum Lemanum et Juram montem tractu, sed ita ut Caesar ultra Rhodanum exordium sumere ducit. Hoc errore ita est M. captus, ut commotus his Dionis verbis et quibusdam Plutarchi etiam pictas regionum tabulas commutare velit, quae omnia non minus quam ea, quae infra de Dionis excerpendi ratione identidem repetit, ad irritum cadunt. Plutarchi quoque verba (Caes. 18: *ἐχώρουν πρόσω διὰ τὴν ὑπὸ Ῥωμαίους Γαλατίας* sqq.) hoc modo sunt referenda: voluerunt per Romanorum Galliam proficisci, ut olim Cimbri atque Teutones (sc. profecti erant).

Inter Dionis verba (38, 32, 2): *διὰ τῶν Σηκουανῶν καὶ διὰ τῶν Αἰδούων ἐθελοντί σφισι τὴν δίοδον . . . . παρεχόντων* et commentarios (I. 9) quidquam interesse (M. p. 22) equidem non magis intellego quam qui censuram scripsit. Dio sine dubio vult dicere voluntate, id est: non vi

coactos Helvetiis illos per fines suos ire passos esse, qua in re nequaquam discrepat a Caesare (ut nos quoque dicimus urbem quandam deditam esse „freiwillig“ [contrarium: gewaltsam erobern], quamquam fieri potest, ut ante per multum tempus obsessa et omnis generis vis facta sit). Et si M. hoc non probet, licet nobis hoc statuere Dionem cum brevitatem consectaretur, in levem incidisse indiligentiam.

Ab ea certe repetenda sunt verba (38, 32, 2): *τὴν χώραν αὐτῶν* (Aeduorum et Sequanorum) *ἐλεηλάτουν*, et infra: *πέμψαντες οὖν οἵ τε Σηκουανοὶ καὶ οἱ Αἴδουοι πρὸς τὸν Καίσαρά* sqq., ad quae Dio idcirco adductus est, quod has gentes apud Caesarem semper oratione coniunctas esse videt. Et Micalella ipse facile se ad nostram sententiam perduci posse confitetur, nisi apud Dionem sequerentur (38, 32, 3): *καὶ ἔλεγον μὲν οὐδὲν ὅμοια οἷς ἔπραξαν, ἔτυχον δ' οὖν ὅμως ὧν ἠξίουν.* Sed quid sibi velint haec verba, M. non intellegit (p. 23) neque is, qui libellum recensuit (p. 128).

Iam prior Micalellae interpretatio est falsa. Cum verbo: *ὅμοια* non id, quo opus est, pondus tribuat, ita explanat: ‚Caesarem certiorem non fecerunt de eo, quod fecerant, id est, se sua sponte illos per fines suos iter facere passos esse et ita ipsos sibi iniuriarum illatarum auctores fuisse. Sed tamen sqq.‘ At liceat mihi quaerere: Num una cum proficiscendi potestate eis etiam diripiendi praedandique licentiam dederunt? Num ob eam rem eis quasi culpae sibi consciis tranquillo ac quieto animo iniuriae erant ferendae? Num Caesaris considerantis, utrum auxilio eis veniret necne, intererat, utrum sua sponte an vi coacti proficiscendi veniam dedissent, ut Dio recte verbo *ὅμως* uti posset? Haec omnia fieri non posse apparet.

Quod ad alteram Micalellae interpretationem attinet (nihil eiusmodi, quod perpessi erant, dixerunt, sed iniurias acceptas in maius extulerunt), verbo *πράττειν*

coniuncto cum accusativo condicionem quandam significari posse nemo est, qui neget. At, praeterquam quod hoc loco, si ita esset, tempus imperfectum desideramus, cum condicio illa laborantium adhuc permaneat neque ad Aoristum ingressivum recte quis refugiat, etiam Micalellae sententia per se ipsa cum vero convenire non potest. Nonne Caesari, etsi eos res verbis auxisse non ignorabat, finium vastatorum cognitio suffecit ad auxiliandi consilium iueundum? Num opus erat mulierum liberorumque raptu? Minime. Utraque interpretandi ratio non est comprobanda, sed haec recta videtur: Quamquam eorum oratio cum factis parum conveniebat, tamen Caesar e. c. His verbis Dio significat Haeduorum malitiam, qua usi Caesarem frumenta flagitantem in angustias adducturi erant; quam etsi Caesar non ignorasset, tamen id, quod petivissent eum concessisse Dio tradidit, ea, quae apud Caesarem infra (I. 16—20) sequuntur, iam hoc loco significans. Quibus causis Caesar eo adductus sit, Dio, qua est rerum causas investigandi consuetudine, ipse addit (38, 32, 3): *φοβηθεὶς, μὴ καὶ ἐπὶ τὴν Τόλοσαν οἱ Ἐλουήτιοι τράπωνται, εἵλετο, μετ' ἐκείνων αὐτοὺς ἀμύνασθαι μᾶλλον ἢ συμφρονήσασί σφισιν, ὅπερ εὔδηλον ἦν ἐσόμενον, πολεμῆσαι.* Inter haec verba et commentarios non ita multum (cf. M. p. 24—25) interest. Nam verbis: *φοβηθεὶς, μὴ καὶ ἐπὶ τὴν Τόλοσαν οἱ Ἐλουήτιοι τράπωνται* a Dione brevitati studente minus diligenter redditis respondent apud Caesarem (I. 10, 1): ‚(nuntiatur Helvetiis esse in animo) iter in Santonum fines facere, qui non longe a Tolosatium finibus absunt, quae civitas est in provincia. Id si fieret, intellegebat magno cum periculo provinciae futurum, ut homines bellicosos finitimos haberet.‘ Hoc est, si veram rei rationem exigis, idem fere, quod apud Dionem scriptum est. Nam etiam secundum commentarios Caesar metuit, ne q u a n d o Helvetii contra provinciam proficiscantur; quin etiam si Dio simpliciter dicit Caesarem timuisse, ne contra

Tolosam irent (sc. illico), eo maiorem potestatem ei tribuit eorum libidines praeveniendi eosque etiam extra fines Galliae Romanae aggrediendi, ut M. disputans hoc a Dione ex alio fonte eoque Caesari adversario sumptum esse potius contrarium eius, quod vult, ostendat. Neque melius agitur de Micalella in eo, quod sequitur.

Studio suo, quo ubique alterum fontem quodammodo praesagit vel potius odoratur, eo impellitur (p. 25—28), ut Dionis verba (38, 32, 4): *προσπεσὼν οὖν διὰ ταῦτα τοῖς Ἐλουητίοις τὸν Ἄραριν διαβαίνουσι τοὺς μὲν τελευταίους ἐπακολουθοῦντας ἐν αὐτῷ τῷ πόρῳ διέφθειρεν, τοὺς δὲ προκεχωρηκότας ἐς τοσοῦτον ἐκ τοῦ αἰφνιδίου καὶ ἐκ τοῦ τάχους τῆς διώξεως καὶ ἐκ τῆς πύστεως τῶν ἀπολωλότων ἐξέπληξεν, ὥστε* e. c. ita intelligat, ut eis Dionem aeque atque Plutarchum victos Tigurinos tribuere Labieno contendat. Exsequitur enim ea, quae Rauchenstein (p. 61—68) de hac re ipse sibi excogitavit, secutus apparere ex his Dionis verbis Tigurinos victos esse a Labieno, non a Caesare, ut ipse tradit (I. 12), Caesarem reliquis eisque maiore Helvetiorum parti a fronte se opposuisse eosque fudisse. Quo in demonstrando M. rem male gessit.

Recte dicit Dionem primo (*τοῖς τὸν Ῥοδανὸν διαβαίνουσι* e. c.) in universum Romanorum cum Helvetiorum exercitu concursum significare velle; sed verbis, quae sequuntur, non necesse est duas actiones nullo vinculo inter se coniunctas conexasve intellegi. Dio particulis *μέν* et *δέ* usus nihil nisi inter se contrarias eas esse dicit nulla temporis habita ratione, ut secundum eius verba (si cetera negligas) et alteram ex altera manasse et nulla eas inter se contineri ratione cogitari possit. Licuit certe Dioni, verbis *πρῶτον — ἔπειτα* uti, sed quoniam hoc non fecit, inde nihil potest colligi. Verum porro non est, fieri non posse, ut verba: *ἐκ τοῦ αἰφνιδίου* ad Caesaris post tergum Helvetiorum adventum referas. Etsi enim statuendum est, de Tigurinorum pugna ceteros Helvetios certiores esse factos (quod apud Dionem

quoque scriptum est: ἐκ τῆς πύστεως τῶν ἀπολωλότων), tamen necesse erat eis Caesaris adventum videri repentinum (‚improvisum‘ Dio minime dicit), cum id, quod ipsi diebus XX aegerrime confecerant, ut flumen transirent (Caes. I. 13, 2), ille uno die fecisset. Et nonne Dionis verbis ἐκ τοῦ αἰφνιδίου respondent apud Caesarem ‚repentino adventu commoti‘? Etiam minus convenit cum veritate, id quod M. contendit, voce δίωξις Dionem intellegi voluisse eam insectationem, quae profecta esset a parte quadam Romanorum contra eos Helvetios, qui, postquam a fronte Romanos oppositos invenissent, fugam capessivissent. Nemo incidat in hanc coactam interpretationem, nemo praeter Micalellam hoc ita explanet. Sine dubio necesse fuit Dionem maiorem adhibere perspicuitatem et aperte narrare Helvetios cum Romanis a fronte se obicientibus pugna decertare noluisse, sed fugisse vel devictos terga vertisse. Sane etiam fieri potest, ut Dio cogitaverit Caesarem Tigurinis victis non a tergo Helvetios esse secutum, sed flumine in regione quadam magis ad meridiem spectante traiecto a fronte eis viam interclusisse (quod quomodo se habuerit, in commentariis Caesar non aperte dicit [I. 13, 1—2]). Quae si ita sunt, tamen inde nihil colligi potest ad demonstrandam Micalellae sententiam.

In disserendo de verbis: ἐκ τῆς πύστεως τῶν ἀπολωλότων interroganti Micalellae, quomodo fieri potuerit, ut, postquam Romani iam a tergo Helvetiorum advenissent, cladis nuntius ad Helvetios afferretur, (praeter illa, quae paulo ante disseruimus) respondebo, inter pugnam et Romanorum adventum satis temporis interiectum esse (cf. Caesar I, 13), ut et flumen transgressuri et transgredientes et modo transgressi res quo loco essent cognoscere cognitasque iam progressis nuntiare possent. Micalella autem ipse non minus abhorrere videtur a nostra sententia, cum supra statuendum esse disserat, inter pugnam nonnullos maiorem partem iam transgres-

sam de ea certiores facere potuisse, qua de re hoc loco quodammodo ipse sibi contradicit.

Quodsi M. dicit (p. 27. n. 1.) Dionem Cassium nunquam non diligentissime servasse temporum ordinem, hoc ei est demonstrandum, refellenda sunt argumenta. aliter de hac re sententium velut Wilmansii.[1])

Ea, quae M. disputavit de particularum *καί* et *τε* apud Dionem usu, non esse comprobanda iam apud eum, qui de libello censuram fecit, legimus (p. 128). Minime fieri porro potest, ut verbo *διέφθειρε* Labieni victoria contineatur. Quodsi M. reicit ad Xenophontem (Anab., ubi ceterum falso I. 6, 11 pro II, 1, 8 notat), haec longe alia rerum condicio est neque illi comparanda. Ac primum quidem illo loco ultro, quid auctor sibi velit, perspicuum est; deinde verbum *ἀποκτείνειν* ipsum aptissimum est ad illum usum, tum Xenophon ipse hac in re longius procedit (cf. Sauppe, lex. Xenoph. s. v. *ἀποκτείνειν*), hoc denique loco verbum *ἀποκτείνειν* latius patet et paene ,e medio tollendi' vim capit, id quod iure etiam de rege Artaxerxe dici potest. Hic autem id, quod M. minutius et scrupulosius duobus auctoribus adiuvantibus magna ope scrutatus est, nemo alius ita intelligat, et eodem iure, cum utrumque verbum, et *διέφθειρε* et *κατέπληξε*, eundem obtineat locum, alter quidam exsistere poterit et contendere haec verba ita esse explananda, ut Labieno vel alii cuidam tribuas concursum cum Helvetiis, Tigurinorum victoriam Caesari, aut tertius ita, ut utramque rem ducem quendam sub auspiciis Caesaris gessisse statuas. Certum est Dionem si fonte Caesari contradicente hoc loco usus esset, praeterquam quod ab illo iam ultro alieno est animo, maiore perspicuitate usurum fuisse et dicturum: *Λαβιῆνος διέφθειρε* vel certe: *ὑποστρατηγός τις*. Hic quoque M, ne de eo, quod sibi

[1]) R. Wilmans, de Dionis Cassii fontibus et auctoritate, Berolini 1836 p. 41.

finxit, cogatur desistere, concedere dignatur, id quod supra summa ope studet negare, Dionem in excerpendo nonnulla minus diligenter tradidisse. Quodsi deinde Dionem facile nomen Labieni omittere potuisse eo argumento confirmare vult, quod idem postea in describenda pugna Ariovisti ne Publii Crassi (falso M. scribit ‚Cassii') quidem, quamquam eius praecipue opera factum esse Caesar dicat, ut hostes devincerentur, mentionem fecit, hac in re in errorem incidit eumque gravissimum. Minime enim ei, quippe qui Dionem Caesaris commentariis eo tempore, cum conscribendis rebus gallicis operam dedit, omnino usum esse neget, licet, ad argumentandum hoc loco adhibere commentarios. Utrum autem ille, quem Micalellae Dio excerpsisse videtur, fons infra nomen Publii Crassi memoriae tradiderit necne, fieri non potest, ut inveniamus. Ceterum hic longe alio loco res sunt atque infra. Nam cum infra Caesar ipse in illa pugna rebus gerendis praesit et Crassus sub eius imperio nihil nisi ad victoriam conferat, hoc loco, si verum esset illud Micalellae, Labienus absente Caesare, suo proprio consilio (sane sub illius auspiciis) rem gessisse statuendum esset. Quin etiam, si hoc non ita esset, tamen inde nihil certi quidem efficitur, cum quatam vim Dio ipse et his et illis verbis tribuerit non possimus dicere. Altera autem in parte Caesarem non dubitare eos duces, qui rem bene gesserunt, commemorare, cum ex illo loco intellegas tum ex aliis permultis (cf. Crassum II, 34, 35; Servium Galbam III, 16; saepissime Labienum e. c. e. c.), ut hoc quoque loco eum id facturum fuisse nemo sit, qui iure neget.

Rauchensteini argumenta (p. 61—68), quorum M. admonet, re vera non esse gravia iam, quod attinet ad primum et secundum, demonstravit Heller.[1]) Ut autem Caesar tota re aliam sequeretur rationem, certe fieri

---

[1]) Philologischer Anzeiger, XIV, p. 309—310.

potuit, sed non necessario res erat hoc modo gerenda. Perincommode accidit, quod Rauchensteino, qua esse videtur virtute imperatoria, non licuit Caesarem hac in re docere!

Quomodo iudicandum sit de Dionis multis in rebus cum commentariis concentu, iam initio est dictum. Narrationem a Caesare de Dumnorige Aeduo insertam Dionem industria omisisse, quippe quam iam antea, ubi agit de Aeduorum legatis (38, 32, 3), complectatur, iam Melber exposuit (p. 63—64). Micalella autem hic quoque oblitus est Dioni excerpenti non omnia, quae in fonte suo invenerat, tradere licuisse. Si quando nos aliquid eiusmodi ut non ita leve desideramus apud eum, Dio scilicet de eo aliter sensit ac nos, quippe qui in excerpendo oratoris modo maxime ornandi studio duceretur. Neque magis opus erat eum multa verba facere de eis, de quibus Caesar cum Helvetiis agebat rebus, quarum summam eodem atque Caesar modo tradit, neque de clade Romanorum equitum, in qua describenda Caesar nihil addit coloris, sed potius Dio verbis: *τῶν σπονδῶν κατεφρόνησαν* (Helvetii) (38, 33, 1) rem fere auxit. Neque enim, si conferas commentarios, iustae ac legitimae indutiae convenerant (Caes. I. 13—14).

Micalella deinde (p. 31) verbis: *ἐκ τούτου* et *διὰ τὴν ἐλάττωσιν* (38, 33, 2) nisus exponit Dionem aliter ac Caesarem tradere equitum clade Romanos ad egrediendum commotos esse. Qua in re primum in verbis *ἐκ τούτου* explanandis erravit. Nam haec verba non sunt coniungenda cum verbis *ἐκεῖνον φυγεῖν*, sed solum cum: *φρόνημα λαβόντες*, ut habeas Caesaris verba (I, 15, 3): ‚quo proelio sublati‘ ad verbum translata. Neque enim fieri potest, ut Dio dixerit Romanos regressos esse hac re commotos et clade, quod ita bis idem attulisset, sed *καί* priore loco transferendum est: ‚et‘ (= deinde), ut *τε* (*φρόνημα* e. c.) respondeat cum *καί* ante *ὅτι σπανίσας* e. c.: ‚deinde et ipsi ex hoc proelio elati et

illum fugere rati partim quod quid detrimenti acceperat (sc. *putabant* eum fugere), partim quod inopia e. c. de via decessit e. c. . . Sequitur Dionem nequaquam dicere re vera Romanos adductos illo detrimento se recepisse, sed hanc esse solam Helvetiorum opinionem. Sane, quamquam sic se res habent, Dio minus diligenter sequitur hac in re commentarios. Neque tamen est, quod Micalellae consentiamus neganti fieri posse, ut is, qui res, quae agunt de Dumnorige ceterasque eiusmodi ut levioris momenti sciat praeterire, in singulis rebus inter se coniungendis utatur indiligentia. Neque enim *quamquam* haec omisit, sed *ob hoc ipsum*, quod omisit, Dio adductus est ad hanc indiligentiam. Nam ad equitum cladem illico, omissis illis rebus, receptum Caesaris annectens cum ubique qua quaeque ratione contineantur quaerat et, ubi nihil eiusmodi in fonte invenit, ipse, quo est causas investigandi studio, suo arbitrio illud tradat, hoc quoque loco eodem ductus studio narrat Helvetios opinatos esse etiam clade illa factum esse, ut Romani de via decederent et ob hanc quoque rem eos esse persecutos. Ad eam narrationem ut eo magis impelli poterat, quod etiam in commentariis, ubi agitur de ea re (I, 23, 3), aliquid eiusmodi legerat: ‚Helvetii, seu quod timore perterritos Romanos discedere a se existimarent eo magis, quod pridie superioribus locis . . . . proelium non commisissent‘, ita certe non multum discrepat a commentariis, quod illa quoque victoria aliquantum contulisse videtur ad Helvetiorum animos erigendos et consilium Caesarem audacter persequendi ineundum.

Quod attinet ad impetum ab Helvetiis in collem factum, consentio et Vulicio (p. 223) et Micalellae (p. 31) dicentibus Dionem paene contrarium commentariorum tradere. Neque enim apud Caesarem legimus eum hostes inopinantes aggressos esse, neque Dionis verba: *σποράδας συντεταγμένος* (38, 33, 3) ullo modo conferri possunt cum

Caesaris verbis: ‚confertissima acie‘ (I, 24, 5). Sed hoc loco eam rem praetereamus et infra in eiusmodi aliis locis explicandis fundamento supposito de hoc quoque disseremus, hoc solo iam nunc addito nequaquam necesse esse ad alterum quendam fontem refugere.

Quomodo fieri potuerit, ut Dio aliter ac Caesar traderet Helvetios *κατὰ νώτου* (38, 33, 4) Caesarem aggressos esse, a Melbero (p. 65) atque Vulicio (p. 222—223), ut Dio equites persequentes induceret Helvetios fugatos, a Melbero (p. 66), ut apud Caesarem duae legiones pugnae non interessent, ab Hellero (p. 310—311) satis superque est expositum. Quam mirae exsistant res, si semper et ubique nonnulli Caesarem vera tradere negant, hoc loco cernas. Micalella enim (p. 32) statuit equitatum pro praestantia sua aptissimum fuisse ad hostes persequendos; Rauchenstein cum eum nominet ‚eine erbärmliche Kavallerie‘ (p. 89), minime idoneum ad aliquid efficiendum. Et his causis inter se maxime contrariis unum idemque student demonstrare: mendacitatem Caesaris!

Absurdum ipsum per se esse, apud Dionem (38, 33, 5) Helvetiorum maiorem quoque partem, postquam iam pridem fugam capessivit eamque Romanorum equites persecuti sunt, una cum Tulingis et Boiis ad carros refugere, deinde Dionis verba: *οἱ σύμμαχοι τῶν Ρωμαίων αὐτοὺς διέφθειραν* (38, 33, 6) profecta esse a falsa commentariorum interpretatione iam Melber (p. 66—67) exposuit.

Quae omnia si colligemus, longe aliter atque Micalella de hac pugna sentiemus: Dio totius fere proelii perturbatam atque obscuram, nonnullis in rebus veritate carentem imaginem tradidit.

Tertio capite Micalella agit de bello contra Ariovistum gesto.

In ea verba, quae Dio (38, 34, 1) initio de Caesaris *studiis atque* consiliis facit, idem cadit quod supra pri-

mordio totius Dionis de bello Gallico narrationis disputavimus (Mic. p. 35). Verbis: *αὐτός τε τὸ ἑαυτοῦ βούλημα ἅμα ἀπεπλήρωσε* (38, 34, 1), deinde: *οἵ τε γὰρ Σηκουανοὶ και οἱ Αἴδουοι τήν τε προθυμίαν αὐτοῦ ἰδόντες καὶ τὰ ἔργα ὁμολογοῦντα ταῖς ἐλπίσιν αἰσθόμενοι, ἐκείνῳ τε εὐεργεσίαν ἅμα καταθέσθαι*, infra: *παρὰ τοῦ βαρβάρου πρόφασιν τῆς διαφορᾶς, μὴ καὶ προϋπάρχειν τι ἐς αὐτὸν νομισθῇ, λαβεῖν ἠθέλησε* (38, 34, 3) Dio ter unum idemque dicit Caesarem consulto ac studio bellum commovisse. Quod quin in universum sic se habuerit, nemo dubitabit, sed nemo putabit hoc ad inveniendum Dioni alterum fontem opus fuisse aut singularem ingenii aciem (Mic. p. 35–36). Haec, et quae deinde a Micalella (p. 36—38) de commentariis disseruntur, nullius sunt momenti, cum eis rebus demonstrari possit Caesarem paucas res verbis auxisse, sed nihil, quod ad nostram quaestionem pertineat. Nam si Micalella ex ipsis commentariis nullo alio fonte adhibito Caesarem quacunque ratione operam dare, ut belli causa iusta ac legitima videatur, intellexit et cuivis alteri hoc intellegere licet, quidni Dio quoque id cognoverit praesertim cum eius studium causas diligenter indagandi respicias? Utrum singula apud Caesarem, velut descriptio miseriae ac timoris Sequanorum atque Aeduorum, legatorum questus (I. 31, 2; 32, 2), in maius sint elata necne, hic est nullo numero. Summum est illas gentes legatos auxilium petendi causa ad Caesarem misisse et hunc debuisse illis obsequi. Omnia cetera praeterire Dioni et licuit et paene, ne longius proveheretur, opus erat.

Deinde Micalella (p. 39) sive levitate sive industria verum mutavit. Neque enim apud Caesarem, id quod M. contendit. scriptum est t o t i u s G a l l i a e legatos cum orasse, ut communi consilio adesset, sed plane dicit (I. 30, 1): totius f e r e Galliae; infra autem (I, 30, 4), ubi legimus: ‚totius Galliae', agitur de eo, quod illi Galli ipsi (minime, ut M. opinatur, Caesar) consilium in diem certam

indicere volebant; qua de re id, quod M. dicit, fieri non potuisse, ut illae gentes ignoto homine Romano auctore convenirent, ultro ad irritum cadit. Dio autem solos Aeduos Sequanosque affert idcirca, quod hae gentes hac in re primas quodammodo tenent partes.

Si denique fatendum est Dionem verbis: *μετεπέμψατο αὐτὸν ὡς καὶ διαλεχθῆναί τι αὐτῷ δεόμενος* (38, 34, 4) usum rem minus diligenter tradidisse, causa haec est: Dio Ariovisti responsum singulare mirumque et ultro memoriae inhaerens: ‚Si quid ipsi a Caesare opus esset, sese ad eum venturum fuisse, si quid ille velit, illum ad se venire oportere‘ (Caes. I, 34, 2), quod responsum eodem modo a Dione traditur (38, 34, 4), et ex quo facile colligi potest Ariovistum a Caesare in castra Romana vocatum esse, ceteris neglectis in memoria tenuit et hunc in modum interpretatus est.

Hoc quoque loco Florum et Dionem inter se consentire, dissentire a commentariis Schwartz (p. 1700) statuit. Equidem rem sic se habere non intellego. Flori enim verbis (I, 45, 11): ‚veni ad Caesarem‘ secundum operis naturam latius patentibus hoc quoque significatur: Veni ad locum quendam constitutum a Caesare. Accedit, ut Caesar ipse, ubi refert de Ariovisti responso, dicat hunc sibi nuntiasse, si quid ipsi a Caesare opus esset, sese ad eum venturum fuisse (I, 34, 2), ut inter Florum et commentarios etiam minus intersit quam inter hos et Dionem. Altera in parte e verbis: iustissimis quidem ex causis (Flor. I, 45, 10) ea Flori sententia cogitur, quae nullo modo congruat cum Dione (cf. supra p. 27, et quae sequuntur.)

Quod Dio Caesaris postulationi adiungit (38, 34, 6): *ταῦτα δ ἔπραξεν οὐχ ὅτι καὶ καταπλήξειν αὐτὸν, ἀλλ ὅτι ἐξοργιεῖν κἀκ τούτου πρόφασιν τοῦ πολέμου καὶ μεγάλην καὶ εὐπρεπῆ λήψεσθαι ἤλπισεν. ὅπερ ἐγένετο* quartum idem est, quod antea identidem de suo repetiverat de Caesaris bella conflandi studio. Nonne ex: *ὅπερ ἐγένετο* fere elatus

quidam animus elucet, quo auctor ad veritatem revocatas esse opiniones suas quodammodo pronuntiat?

Minime recte M. scripsit (p. 41), apud Dionem contra commentarios Romanos, antequam Vesontio urbs capta esset, nihil de Ariovisti profectione scivisse. Nam 1) ex verbis: *καὶ πρὶν αἰσθέσθαι τινά* (38, 34, 6) hoc minime potest colligi; ut enim, quamvis magnam celeritatem Romani adhiberent, tamen iam antea nuntius afferri poterat, ita non minus ex eo ipso, quod tantopere properabant, cogere nobis licet, eos de Ariovisti itinere iam esse certiores factos et ob eam rem eum praevenire studuisse. 2) ex verbo *προκατασχεῖν* (38, 34, 6) intellegas Dionem ipsum idem atque nos de ea re sensisse. 3) Minime Dio dicit (38, 35, 1), id quod Micalella censet, ‚cum nuntiaretur Ariovistum profectum esse atque accedere' sed, eius copias omnibus rebus ornatas atque instructas esse et alios quoque Germanos Rhenum transisse. Ariovistum castra movisse omnino ut manifestum omisit, cum hoc loco ad Caesarem potissimum spectaret eiusque milites.

Dio refert (38, 35, 2) milites sparsisse sermones bellum susceptum neque iustum esse neque publice decretum, sed ab ambitione tantum privata Caesaris profectum. At iam pridem milites, quoniam Caesar Helvetiis victis in provinciam regressus non est, secundum ea, quae paulo supra disseruimus, non ignorare necesse erat, tum profecturum eum esse contra Ariovistum; et si re vera milites (praeterquam quod omnino apparet, tam subtiliter secum disputare coepisse non tam milites quam tribunos ac praefectos, id quod Caesar tradit [I, 39, 2]) iustitia in hac re ducti essent, illo tempore debuerunt detrectare militiam atque profectionem. Num quid eiusmodi protulerunt tum, cum Caesar contra Helvetios proficiscebatur et bellum non magis erat decretum a senatu? Ex eo, quod nunc solum id faciunt, intellegas metum Germanorum unam

veram causam detrectandi imperata fuisse. Fieri autem potuit, ut unus alterve, ut ignaviam suam tegeret, mentionem faceret iustitiae, et Dio id, quod fieri posse sibi excogitaverat, re vera factum esse tradidit, simul et eo adductus, quod apud Caesarem legerat Ariovistum respondisse, ‚sibi mirum videri, quid in sua Gallia, quam bello vicisset, aut Caesari aut omnino populo Romano negotii esset‘ (I, 34, 4), Caesarem legatos cum his mandatis ad A. misisse, ‚si non impetraret, se, quoniam M. Messala M. Pisone consulibus senatus censuisset, uti, quicunque Galliam provinciam obtineret, quod commodo rei publicae facere posset, Aeduos ceterosque amicos populi Romani defenderet, Aeduorum iniurias non neglecturum‘ (I, 35, 4), Caesarem vehementer milites incusavisse, ‚primum quod aut quam in partem aut quo consilio ducerentur, sibi quaerendum aut cogitandum putarent‘ (I, 40, 1), et ut haberet, unde infra orationem a se fictam magis ornaret (38, 41).

Consentaneum est eis, quae antea dixerat, Caesarem convocare centuriones ac praefectos (Caes. I, 40), quod ab eis motus ortus erat. Dio hoc loco rursus Caesarem secutus cum miretur eum centuriones, non milites, quos auctores esse ipse narrat, cogere, de suo huius rei causam fingit, quae quam absurda sit, iam Melber admonuit (p. 72). Talia enim invenire est minus viri magni ingenii usuque periti, ut iudicat Micalella (p. 43. n. 1), quam intra bibliothecam clausi et in argumentis suis congerendis nulla rerum ratione habita tantum logicae, quae dicitur, artis praecepta sequentis.

His ex eisdem rebus cernitur veri simili non esse illud, quod Schwartz opinatur (p. 1700; 1708) Dionem hoc loco Livium secutum consulto id egisse, ut dissentiret a scriptore quodam inimico nobilibus. Quibus extrema Dionis oratio minime laudi est. Accedit, ut Caesar tribunos centurionesque convocet non ideo, quod

ultro in eis maximam habet fiduciam, sed quod milites convocare verebatur neque quidquam aliud ei restat.

Minime recte Micalella (p. 45) Dionis orationi (38, 36—47) aliquid tribuit eaque utitur ad argumentationem. Abisse tempora Micalellam fugit, quibus Dionis orationes ad res pertinere putabantur. Hanc orationem, cum abhorreat ab eo, quod de rebus gestis solus acturus mihi proposui, missam facio. In ea fingenda Dionem magnam partem alios Graecorum auctores imitatos esse vel potius descripsisse, Köchly-Rüstow[1]) et Melber (p. 72) significaverunt, et, quantum attinet ad Thucydidem, Kynitsch[2]) demonstravit. De singulis solis rebus a Micalella proprie in medium prolatis brevissime disputabo. Nonnullae earum a Dione e Caesare sumptae sunt; ut id, quod dicit (38, 36, 4) de ducis potestate bella ferendi, quocunque ei placeat (cf. Caes. I, 40, 1) et de arrogantia militum (Caes. I, 40, 10, 12). Alia, velut quae de civium officiis exponit (38, 36), hausta esse ex Thucydide ostendit Kynitsch (p. 9 sqq.). Quod attinet ad bellum a senatu non decretum (38, 41), iam supra disputatum est; alia, velut non modo res, sed etiam voluntates esse spectandas (38, 42), vel quod de rebus Romanis, quo loco sint, exsequitur (38, 37, 38), et sunt res aptae ad omnes eiusmodi condiciones, et, ut ostendit Kynitsch (p. 14; 16), partim e Thucydide descriptae. Ad verba: *πέμψαντος γάρ μου πρὸς αὐτὸν φιλικῶς, ὅπως ἔλθῃ πρὸς ἡμᾶς, ... οὔτ' ἦλθεν οὔθ' ἥξειν ὑπέσχετο* (38, 42, 2) idem atque supra valet. — Cur Dio plurima verba fecerit de iniuria Ariovisti responso Caesari illata, eam esse causam apparet, quod hac re ei optime occasio oblata erat orationem oratoris more exornandi; haec enim ipsa pars

---

[1]) Einleitung zu des G. J. Cäsars Commentarium über den gallischen Krieg, Gotha 1857; p. 55. n.

[2]) De contionibus, quas Cassius Dio historiae suae intexuit, cum Thucydideis comparatis; diss. Lipsiae 1884.

abundat omni oratoriorum ornamentorum genere, velut id ipsum, quod M. (p. 46) affert: *ἀλλ' ὁ Ῥωμαῖος, ὁ ἀνθύπατος, αἱ ῥάβδοι, τὸ ἀξίωμα, τὰ στρατόπεδα* e. c. (38, 43, 4).

Minime verbis: *οἱ δὲ δὴ ἄλλοι τὴν ταχίστην ἀπαγάγετε μηδέ μοι μάτην ἐνταῦθα τρύχεσθε τά τε κοινὰ εἰκῇ ἀναλίσκοντες καὶ τῶν ἀλλοτρίων πόνων μεταποιούμενοι, τὴν δὲ λείαν τὴν ὑφ' ἑτέρων κτωμένην σφετεριζόμενοι* (38, 46, 4) alterius cuiusdam fontis vestigia continentur (M. p. 46). Haec enim omnia ultro deduci possunt ex eis, quae supra legimus et Caesarem cum paucis profecturum (38, 46, 3), quod etiam apud Caesarem scriptum est (I 40), et milites a civibus missos non esse, ut quieti ac desidiae se dederent (38, 36, 4; 5). Idem apud Dionem et infra legimus in simili oratione, quam eodem rerum statu Caesarem apud milites recusantes contra hostem proficisci, habentem facit (*στρατιωτῶν τινων ἐν Πλακεντίᾳ στασιασάντων καὶ μηκέτ' ἀκολουθῆσαι οἱ ἐθελόντων . . . . . Καῖσαρ ἔλεξε* . . (41, 26, 1) . . *παύσεσθε μὲν δὴ διὰ ταῦτα τῆς στρατείας* [41, 35, 4]), ut inde quoque colligas illud esse fictum a Dione.

Quomodo autem hoc loco, id quod Schwartz contendit (p. 1700), Frontinus his usus verbis: ‚C. Caesar, adversus Germanos et Ariovistum pugnaturus, confusis suorum animis pro contione dixit, nullius se eo die opera nisi decimae legionis usurum: quo consecutus est, ut decimani tamquam praecipuae fortitudinis testimonio eniterentur, et ceteri pudore, ne penes alios gloria virtutis esset' (I, 11, 3; IV, 5, 11) pariter ac Dio res auxerit, non perspicuum est. Neque enim Frontinus plus tradit quam Caesar, praeterquam quod e rebus gestis nonnulla apta ad id, quod toto libello agit, collegit.

Verisimile deinde est, militum tum quoque quosdam fuisse, qui ne Caesaris quidem oratione, ut timorem abicerent, commoverentur; quam ad opinionem Dionem (38, 47, 1) sine ullo alio fonte facile adductum esse nemo potest negare. Neque enim Caesar, qui ipse nondum

contra Germanos pugnaverat, de re ipsa quidquam commutare poterat.

Quomodo autem fit, ut Dio, quae res Vulicio (p. 223) difficultatem affert, dicat minime eorum quemquam Caesari contradixisse, qui illos sermones sparserant (38, 47, 1)? Propterea Dio hoc proprie affert, quod in oratione a se ficta multis verbis eos ipsos Caesarem alloquentem induxerat (38, 46, 3—4). Nam hi, quos hoc loco intelligit, iidem sunt atque supra *τινές* (38, 46, 3), quosque praecipue spectat, cum obtrectantes militiam abire iubet (38, 46, 4).

Caesarem non diutius illo loco mansisse, ne animi militum languescerent, de suo sine dubio Dio addidit, cum consuetudine sua causam, cur Caesar illico profectus esset, quaereret, illum autem iam antea (Caes. I, 40, 14) quarta hora castra movere decrevisse, negligeret (Mic. p. 47). Ea ipsa re adductus et simul eo, quod Ariovistum, qui antea tantam sibi sumpserat insolentiam tantamque arrogantiam, nunc legatos ad Caesarem misisse legit (I, 42, 1), Ariovistum a Romanis inopinantem oppressum esse tradit (38, 47, 3), qua in re a commentariis certe non discrepat.

In sequentibus rebus disserendis Micalella (p. 49) denuo, quae sit Dionis operis natura, negligit. Inde enim, quod Dio de Caesaris cum Ariovisto colloquio et utriusque verbis, de repentino Germanorum impetu, de novis Ariovisti condicionibus, de Cicerone legato (Caes. I, 43—47), non singula exsequitur, admodum nihil licet colligere. Summa autem rerum, quam ornate elaborata concinnitate usus Dio ita affert: *αὐτός τε γὰρ πάντα προστάξαι καὶ ἐκεῖνος οὐδὲν ὑπακοῦσαι ἠθέλησεν* (38, 47, 4) nihil a commentariis discrepat.

Quae autem Dio dicit (38, 47, 5) de adversariis, quantum uterque possit (eiusmodi res quantopere in deliciis habeat ex eo, quod saepe apud eum talia inveniuntur, intellegas, velut l. 49, 3; l. 75, 6) et de Germanis,

ipse de suo addidit, neque necesse est, ut M. putat (p. 49—50) censere eum haec ex singulis commentariorum locis congessisse, sed ipsius et praefecti provinciae et rhetoris scientiae id tribuere licet.

Iam Melber exposuit (p. 73 sqq.) cum ea, quae ante ipsam pugnam commissam facta sunt, Dionem minime dilucide tradidisse, tum ἰσχυρῶς ἐλύπει (38, 48, 2) nequaquam contrarium esse commentariis (M. p. 50). Quod M. contendit (p. 50) verba Dionis: ἐκ τούτου καταφρονήσας (38, 48, 2) et Caesaris: ‚eo consilio, ut frumento commeatuque, qui ex Sequanis et Aeduis supportaretur, Caesarem intercluderet‘ (I, 48, 2) inter se pugnare, minime verum est, sed alterum cum altero ipsum per se optime concordat. Nam verbo καταφρονήσας Dio dicit, qua causa commoti Galli omnino aliquid ausi sint, verbis ‚eo consilio‘ sqq. Caesar, quid in eo spectaverint. Dio autem addit καταφρονήσας, cum consuetudine sua hic quoque causam investiget, ea autem, quae apud Caesarem scripta sunt (eo consilio sqq.) simpliciter omisit.

Dio deinde (38, 48, 2) in describendo equitum concursu et loci cuiusdam occupatione eum, quem apud Caesarem invenimus, ordinem non servavit, sed ita, ut, id quod iam Melber docuit (p. 74), non propius illo accedat ad verisimilitudinem.

Nec minus quidquid argumentorum Micalella (p. 50 sqq.) de illo proelio contulit, iam pridem est refutatum atque dilutum, ut, ne repetere cogar, liceat mihi illud fere praetermittere. Cum Caesar dicat (I, 51, 2) breviter atque universe n e c e s s a r i o Ariovistum suas copias castris eduxisse, Dio ipse a se quaerens, cur hic, quamquam ad illud tempus matronarum sortibus vaticinationibusque obtemperaverat, tum eas negligat, causam eam affert, quae fere in omnibus eiusmodi condicionibus valet et hic quoque cum vero minime discrepat, quamque ad inveniendam Dioni nullo altero fonte opus erat: Victoria *reportata* elatus copias eduxit (38, 48, 4).

Rauchensteini (p. 27) argumenta, quae M. denuo adhibet (p. 51), ab Hellero iam sunt dissoluta (p. 211). Singulis aliis autem pugnae narrationis rebus non esse fidem tribuendam, satis superque Melber ostendit (p. 81 sqq).

Exeunte narratione incidit Dio (38, 50, 4) in similem errorem atque supra in pugna Helvetiorum depingenda. Cum apud Caesarem legat alteram partem pulsam atque in fugam esse coniectam (I, 52, 6), alteram non nisi atrocem post pugnam terga vertisse (I, 53, 1), illos peditatum, hos equites fuisse animo sibi fingit, eo magis, quod et Ariovistum una cum his fugientem equo vehi putabat et inde, quod illi, quos equitatus persequebatur, summa in fugiendo celeritate usi sunt (Caes. I, 53, 1: nec prius fugere e. c.), collegit hos quoque fuisse equites.

Minime denique Caesarem habuisse, quod caedem, si quam milites fecerant, silentio praetermitteret, inde cognoscas, quod et Romani de huiusmodi rebus, qua erant veritate, aliter senserunt ac nos sentimus vel potius sentire nobis ipsi videmur, et Caesar ipse plurimis locis talem caedem multis verbis explanat (cf. II, 33; III, 16; IV, 14—15; VII, 28; VIII, 44).

Etiam Schwartz huius pugnae descriptione utitur ad argumentandum (p. 1700), cum Dionis Cassii 38, 49, 6 et 50, 1, 2 consentire contendens cum Floro (‚qui calor in proeliando militum fuerit, nullo magis exprimi potest quam quod, elatis super caput scutis cum se testudine barbarus tegeret, super ipsa Romani scuta salierunt, et inde in iugulos gladii descendebant‘, I. 45, 13) Caesaris verba (I. 52, 4—5) a Floro et Dione eundem in modum exaggerata esse dicat. Sed ut Florum minime exaggerasse, sed diligentissime congruere cum commentariis apparet, ita Dionem res auxisse Melber ostendit (p. 83—84).

Cum hunc in modum singula Micalellae argumenta nos refutasse atque refellisse putemus, ea, quae inde deduxit (p. 55—58), ultro ad irritum cadunt. Dionis

verbis: *πάντα ὡς εἰπεῖν τὰ περὶ αὐτῶν τισι γεγραμμένα, συνέγραψα δὲ οὐ πάντα, ἀλλ' ὅσα ἐξέκρινα* (fr. I. 2) ad singulas res necessario demonstrandas nihil certi affirmari potest. Praeterea et Dio ipse dicit *ὡς εἰπεῖν* et illa verba aeque atque multa alia a Dione exaggerata esse putandum est et nonnulli arbitrati sunt his verbis Dionem significare se, quodcunque apud Romanos gestum esset, legisse, non autem omnia, quae legerat, scribere, sed modo nonnulla excerpendi rationem secutum. Eo autem ipso, quod Dio, si pluribus fontibus usus esset, saepius sententias inter se contrarias in medium protulisset prolatarumque aut unam aut alteram ipse secutus esset, simul cum summam cum commentariis plurimis in rebus similitudinem respicias, verisimile fit eum solis e commentariis hausisse. Quod deinde attinet ad Asinii Pollionis historiam, hac in re nihil non caret certis fundamentis. Pollionem tam copiose in opere suo de bellis gallicis egisse, ut Dio eo uteretur fonte, nemo demonstret neque videtur veri simile. Illud autem Asinii de commentariis iudicium a doctis plerumque ad commentarios de bello civili solet referri; de multis aliis rebus, quae M. exsequitur (p. 55 sqq.), iam a Jelgersma (c. I), Ercoleo (p. 129) multisque aliis est disputatum.

II.

Cetera Dionis capita hanc ad rem pertinentia perlustrantes, quae ab eo aliter atque a Caesare traduntur examinabimus, omissis plerumque, ne latius diffundatur quaestio, eis, quae a Dione allata cum commentariis congruunt.

Dio, l. 39. c. 1—5; 40—52; Caes. b. g. II—IV.

c. 1. Verbis: *(οἱ γὰρ Βελγικοὶ) τῷ τε Ῥήνῳ πολλοῖς καὶ συμμίκτοις γένεσι προσοικοῦντες, καὶ ἐπὶ τὸν ὠκεανὸν τὸν κατὰ Βρεττανίαν καθήκοντες* (1, 1) Dio explanat, quod apud

Caesarem legerat (II. 1, 1) omnes Belgas contra populum Romanum coniurasse. Minus diligenter infra dicit (1, 3): *ταῦτ'* (Belgas esse conuiraturos) *οὖν ὁ Καῖσαρ παρὰ τῶν Ῥήμων μαθὼν*, cum apud Caesarem scriptum sit crebros ad eum rumores allatos literisque item Labieni eum de hac re certiorem factum esse (II. 1, 1), Remos autem tum demum se suaque omnia in fidem atque potestatem populi Romani permisisse, cum Caesar improviso celeriusque omnium opinione ad fines Belgarum venisset (II. 3, 1). Ea autem indiligentia inde est repetenda, quod Dio breviter narrandi studio adductus illa Caesaris verba commiscuit cum eis, quae infra sequuntur: ‚qui (Remi) dicerent . . . . reliquos omnes Belgas in armis esse Germanosque sese cum his coniunxisse' e. c. (II. 3, 4); ‚cum ab his (Remis) quaereret, quae civitates quantaeque in armis essent et quid in bello possent, sic reperiebat: plerosque Belgas' e. c. (II. 4, 1); ‚postquam omnes Belgarum copias . . . neque iam longe abesse . . . ab Remis cognovit' (II. 5, 4). Falso Jelgersma (p. 29) illa Dionis de Remis verba confert cum eo, quod Caesar dicit (II. 2, 3) se Senonibus reliquisque Gallis, qui finitimi Belgis erant, negotium dedisse, ut ea, quae apud eos gerantur, cognoscant seque de his rebus certiorem faciant. Haec enim Dionem tradere apparet ita: *ἐν φρουρᾷ αὐτοὺς ἐποιήσατο* (1, 3).

Verbis: *ἐξήσκει τοὺς στρατιώτας* (1, 3), quae quomodo e commentariis hausta sint Jelgersma (p. 30) ignorat, Dio suo more reddidit Caesaris verba: ‚cotidie (Caesar) equestribus proeliis, quid nostri auderent, periclitabatur' (II. 8, 2). Nec magis recte Jelgersma (p. 30) dicit, id, quod Dio de timore narret, plane esse fictum. Nam primum cum Dio dicat: *οὐδὲ ἐτόλμησε πρότερον τοῖς πολεμίοις ἐς χεῖρας ἐλθεῖν, πρὶν* e. c. (1, 3), idem significat atque Caesar se primo et propter multitudinem hostium et propter eximiam opinionem virtutis proelio supersedere statuisse tradens (II. 8, 1); deinde ex Dione ipso

intelligas eum re vera de timore Caesaris non cogitasse, cum dicat: *πρὶν, ὡς καὶ δεδιότος αὐτοῦ καταφρονήσαντες* (falsa adducti opinione e. c.). Cum autem Dio semper et ubique rerum gestarum causas investigandas sibi esse existimet, tradit Gallos propterea tandem aliquid gessisse, quod contemnebant Caesarem velut se timentem; qua in re Dio eandem quam iam supra vidimus, rationem secutus affert aliquid, quod et alioquin in plerisque eiusmodi condicionibus describendis, ut nos, si licet, dicimus: „nach mechanischem Recept“, tradit: plerumque, praesertim cum non illico signa conferuntur, unam alteramve partem propterea impetum fecisse narrat, quod adversarium contempsit, qua in re saepe etiam hunc inducit timentem vel certe metuere se hostes simulantem: (cf. 38, 48, 2: *κἀκ τούτου καταφρονήσας*; similiter 38, 48, 4: *προχωρούντων οὖν οὕτως οἱ τῶν πραγμάτων σμικρόν τε ἔτι τῶν γυναικῶν ἐφρόντισε;* 49, 2, 3: *ἐπειδὴ μήτε πάντας αὐτοὺς ἰδεῖν ἐδυνήθη μήτ᾽ ἀναχθῆναί τις αὐτῶν ἐθέλησε, κατεφρόνησεν αὐτῶν, καὶ ἐπανελθὼν παρεσκευάζετο ὡς καὶ πάσαις ταῖς ναυσὶ τῆς ὑστεραίας ἐπὶ τὰς Μύλας ἐπιπλευσάμενος;* 49, 8, 5—6: *ὁ γὰρ Σέξτος πολὺ ταῖς δυνάμεσιν αὐτῶν ἐλαττούμενος οὐδετέρωσε ἀντεπεξῄει, καὶ τοῦτο καὶ ἐπὶ πλείους ἡμέρας ἐγένετο. τέλος δὲ δείσας, μὴ καὶ καταφρονηθεὶς διὰ ταῦθ᾽ ὑπὸ τῶν συμμάχων ἐγκαταλειφθῇ ἀνταναχθῆναί ποτε ταῖς ναυσὶ προσέταξε.* His de duobus locis iam disputavit Melber[1]). Alia eiusmodi loca infra nobis occurrent.

Non a transfugis (Dio 1, 4), sed a Titurio legato Caesar tradit certiorem se factum esse hostes flumen traicere conari (II. 10, 1). Ad hunc errorem Dio eo adductus est, quod, cum nomina (hanc esse eius consuetudinem exposuit Melber [p. 67—68]) nullius faceret momenti, rem ita narrat, ut plerumque fieri solet eamque saepissime factam esse in commentariis quoque licuit ei legere (cf. III. 18, 3; V. 18, 4; VII. 44, 2; VII. 72, 1).

[1]) Dio Cassius über die letzten Kämpfe gegen Sext. Pompeius *36 v. Chr.;* Abhandl. f. W. v. Christ, München, 1891, p. 229.

Dio refert (1, 4) noctu Caesarem levem armaturam equitesque hostibus immisisse. Hoc Dio, qui apud Caesarem legerat hostes secunda vigilia, paulo post pugnam, castris egressos esse, Caesarem autem non nisi prima luce misisse, qui fugientes sectarentur (II. 11) neglexerat, eo facilius de suo addidit, quod, quo ducitur in narrando exornandi studio aptius putabat esse ad legentium animos alliciendos atque permulcendos, noctu pugnatum esse. Eiusmodi nocturnas pugnas vel itinera eum maxime in deliciis habere multis ex aliis locis intellegas (40, 6, 1: Ambiorix et Cotta vespere proficiscuntur; 40, 10, 1: Caesar itinera facit noctu, die in castris se tenet; 40, 35, 4: Caesar noctu partem copiarum revocat), qua de re similiter ac nos iam iudicavit Haupt[1]).

c. 2. *Ἀπροσδόκητοι* (2, 1) non contradicit commentariis (cf. II. 10, 2: ‚hostes impeditos nostri in flumine aggressi', totamque descriptionem). — Inter Dionis verba: *ἀγνοίᾳ τῶν χωρίων οὐκ ἐτόλμησέ σφας εὐθὺς ἐπιδιῶξαι* (2, 1) et Caesaris: ‚insidias veritus exercitum equitatumque castris continuit' (II. 11, 2) non multum in universum interest (aliter Jelgersma p. 31). Dio ‚insidias' intellexit singulare id insidiandi genus, ubi insidiator alterius inscientia locorum conferat ad insidiandum. — Quia Dio pro studio suo argumentandi miratur, quod Belgae, postquam paulo ante ‚nullo certo ordine neque imperio, cum sibi quisque primum itineris locum peteret et domum pervenire properaret, fecerunt, ut consimilis fugae profectio videretur' (II. 11, 1), nunc hosti pugnandi facultatem dant, ipse de suo, ita quidem, ut minime de commentariis decedat, causam hanc fuisse affert, quod solo cum equitatu, quem cum a Caesare praemissus esset (Caes. II. 11, 3; Dio: *τοὺς πεζοὺς ἐπακολουθεῖν κελεύσας* [2, 2]) priorem advenire necesse erat, rem sibi esse putabant. — Verbis: *παντὶ τῷ στρατιᾷ* (2, 2)

[1]) Jahresbericht zu Dio Cassius, XLI, p. 155.

significat ‚peditatum una cum equitatu‘ (in universum supra dixerat τοὺς πεζοὺς numero consuetudine sua neglecto), quia antea equites soli rem gesserunt. Sequitur Dio hac in re commentarios, ubi ‚hi‘ (II. 11, 4) et equitatus et legiones (illae tres quidem) intelligendi sunt. — Cum socordia quadam Dio scripsit: τούς τε πλείους κατέκοψε καὶ τοὺς περιλοίπους ὁμολογίᾳ παρεστήσατο (2, 2), quae verba formulae paene locum obtinent quaeque magis minusve recte de cuiusvis pugnae exitu tradi possunt.

Parum perspicua periocharum quoque narratio est: ‚Caesar . . . . . proelio victos in deditionem accepit‘ (CIV. p. 91, 27) pro tota libri natura. Ex eiusmodi rebus, id quod Schwartz fecit (p. 1700), nihil cogi potest ad rem iudicandam.

c. 3. Dio quod in commentariis eo ipso loco causam, cur Nervii in silvas se receperint, non invenit, ipse cum Caesare omnino congruens (II. 17, 4) de suo addit: οὐ γὰρ ἦσαν ἀξιόμαχοι (3, 1). Haec ei verisimillima videtur, ut etiam, cum res contra se habent et hostes pugnare non dubitant, addit: καταφρονοῦντες (cf. supra). Quodsi Jelgersma dicit (p. 31) illa Dionis contraria esse eis, quae apud Caesarem legantur, infra autem existimat re vera Belgas propterea se recepisse, quod equitatu nihil possent, hoc mihi quidem videtur idem esse atque id, quod Dio tradit. — Dio cum in commentariis legat Caesarem a decima legione ad dextrum cornu esse profectum, ubi suos urgeri videret (II. 25, 1), et ex eis, quae antecedunt (II. 23), sciat milites decimae legionis hostes fudisse, coniunctis his rebus et existimat et narrat Romanos ibi superiores decessisse, ubi Caesar esset. Cui simile vel potius consequens est, quod ea, quae apud Caesarem scripta sunt (II. 23, 2) milites decimae legionis victos persecutos transire flumen non dubitavisse et in locum iniquum progressos esse (Dio: προεκεχωρήκει) eadem de Caesare ipso tradit. — Non ita falso Dionem narrasse

Nervios circumventos et interfectos esse, et ex tota Caesaris de pugna narratione (cf. II. 27, 3; 4; 5) et inde intellegas, quod Caesar quoque refert hoc proelio prope ad internecionem gentem ac nomen Nerviorum esse redactum (II. 28, 1). — Superlatione deinde exigua usus Dio tradit hostes praedam fecisse in castris Romanorum. Cui rei simile est, quod Caesar equites Treveros facit civitati suae renuntiantes (II. 24, 5) castris impedimentisque Romanorum hostes esse potitos.

c. 4. Unde Dionis verba: *καὶ αὐτῷ (τῷ τείχει) τὸν Καίσαρα προσβαλόντα ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἀπεκρούσατο, μέχρις οὐ πρὸς μηχανῶν ποίησιν ἐτράπετο* (4, 2), profecta essent, iam docuit Petsch[1]). Cum ex Caesaris verbis: ‚ac primo adventu exercitus nostri crebras ex oppido excursiones faciebant parvulisque proeliis cum nostris contendebant, postea vallo passum in circuitu XV milium crebrisque castellis circummuniti oppido sese continebant' (II. 30, 1) appareat Caesarem ipso adventu ad munimenta aggressum esse et, quamdiu his operam dabat, factas esse illas excursiones, Dio, quae inter verba ‚primo adventu' (II. 30, 1) et ‚postea' (II. 30, 2) intercederet ratio perverse interpretatus existimavit inter illas hostium eruptiones et initium muniendi aliquantum temporis intercessisse, ut illis ipsis Romani ad hoc consilium ineundum adducerentur. Cum igitur Caesarem, quod urbem non illico cepit, initio nihil in oppugnando effecisse arbitretur, oppidanorum ex parte ita dicit: *ἀπεκρούσαντο αὐτὸν* (= sese continebant). Operum autem exstructionem Dio omnino omisit et solum turrium, quae hic maximum afferunt momentum, mentionem fecit.

Hac in re Rauchenstein (p. 28) multis in illis argumentis, quibus Caesarem verum non tradidisse demonstrare studet, eo adductus est, ut ipse quodammodo verum non fateretur. Neque enim Caesar dicit oppidanos

---

[1]) II. p. 17—18.

fecisse paucas (Rauchenstein „einige") excursiones, sed ‚crebras' (II. 30, 1). — Oppidanos Romanis cibaria quoque tradidisse, apud Caesarem aperte non scriptum est. Quod Dio inde sumpsit, quod se suaque omnia Romanorum potestati permiserunt (Caes. II. 31, 3).

Si quidquam, certe non tantum, quantum Jelgersmae videtur (p. 32) interest inter commentarios et Dionis verba: *ὅπλα τινὰ ἀπὸ τοῦ τείχους ῥίψαντες* (4, 3). Verbum *τις* apud Dionem maxime varia sonat et latius patet, ut et magnam partem significet, velut 38, 33, 4: *τραπομένων δὲ τούτων ἄλλοι τινὲς τῶν μὴ μαχομένων προσέμιξαν ἐξαίφνης* e. c., ubi *τινές* certe magnus numerus sunt. — Apud Caesarem legimus Gallos hostes indiligentius praesidia servaturos esse credidisse (II. 33, 2), Dio hoc suo veritatem augendi more ita reddidit: *(ἐκείνους) πρὸς ϑυμηϑίαν οἷα ἐπὶ νίκῃ τετραμμένους ᾔσϑοντο* (4, 4). Suam ipsius narrationem secutus (causam deditionis solum repentinum timorem nominaverat), infra dicit oppidanos paenitentia ductos audaciaque recepta excursionem fecisse. Sed etiam secundum commentarios animorum commutatio facta est, illo tantum discrimine interposito, ut ea iam antea, cum arma tradiderunt, orta esset.

c. 5. Jelgersma (p. 34) recte exposuit Dionem ex falsa verbi ‚commeatus' (Caes. III. 2, 3) interpretatione sua sumpsisse, cum ita diceret: *ἐπεὶ μέντοι οἱ πλείους τῶν στρατιωτῶν, οἱ μὲν παρειμένοι οἷα μὴ πόρρω τῆς Ἰταλίας ὄντες, οἱ δὲ καὶ ἐφ᾽ ἑαυτῶν ἄλλοσε ἀπεχώρησαν* (5, 3), et ex eo ipso colligere nobis licere eum commentariis esse usum. — Galbae eruptionem Dio, cum brevitati operam daret, indiligentius narravit. Cum enim Caesaris verba: ‚ac ne in locis quidem superioribus consistere (hostes) patiuntur' (III. 6, 2), id quod Caesar postremum factum esse tradit, respiciat, totam narrationem contrahens dicit Romanos eruptionem fecisse et per hostes in loca sublimia progressos esse. *Ἠμύνατο* (5, 4) respondet cum ‚undique circumventos interficiunt et . . . . in fugam coniciunt'

(Caes. III. 6, 2); cum deinde Caesar nihil nisi omnia eius vici aedificia incensa esse dicat, Dio verbo: *ἐδουλώσατο*, quod latius patet, rem aliquantum oratione auget. Qua ex re intellegas Caesaris quoque, non modo Gallorum res bene gestas Dionem in maius extollere, ut id, quod Jelgersma in eiusmodi locis de odio Dionis dicit non tantum quidem valeat quantum videtur Jelgersmae (cf. iam supra (39, 3, 2) Dio rem aliquid oratione augens dixerat de Nerviorum fortuna: *(Καῖσαρ) αὐτοὺς περιεστοιχάσατο καὶ κατεφόνευσε*).

De bello cum Venetis gesto (Dio 39, 40—43; Caes. III. 11—16) iam satis superque disseruit Melber[1]), qua de re id omittam uno solum addito. Sine dubio absurdum est id, quod Dio tradit (39, 43, 3): *οἱ δε* (Galli) *ἐς τὴν θάλατταν ἐξεπήδων, ὡς καὶ δι' ἐκείνης, ἤ τοι τῶν πολεμίων νεῶν ἐπιβησόμενοι ἢ πάντως γε οὐχ ὑπὸ τῶν Ρωμαίων ἀπολούμενοι.* Equidem existimo hoc loco Dionem Thucydidis locum quendam ante oculos habuisse, sed rem in describendo male gessisse. Thucydides enim (III. 112, 7) memoriae tradit Ambraciotarum pugna terrestri victorum nonnullos in mare se iecisse et naves Atheniensium eo ipso tempore appropinquantes conscendere voluisse, cum potius ab his interfici mallent quam ab Amphilochiensibus inimicissimis: *καὶ ἐτράποντό τινες καὶ εἰς τὴν θάλασσαν . . . . καὶ ὡς εἶδον τὰς Ἀττικὰς ναῦς παραπλεύσας . . ., προσένευσαν, ἡγησάμενοι . . . . κρεῖσσον εἶναι σφίσιν ὑπὸ τῶν ἐν ταῖς ναυσίν, εἰ δεῖ, διαφθαρῆναι ἢ ὑπὸ τῶν βαρβάρων καὶ ἐχθίστων Ἀμφιλόχων* (III. 12, 7). Haec Thucydidis illo loco nullam movent suspicionem; ea, quae Dio tradit, nemo comprobet.

Tota autem Dionis pugnae descriptio ita non veri similis, partim absurda est (prima Dionis studio Thucydidem imitandi ducti dissentiunt ab ultimis, horum utrum-

---

[1]) Des Dio Cassius Bericht über die Seeschlacht des D. Brutus gegen die Veneter, comment. Woelfflinianae, p. 291—297.

que a mediis), ut nihil fere valeat ad argumentandum, id quod Schwartz facit (p. 1700), quippe qui supra ipse concesserit pugnarum descriptionem esse plane fictam a Dione (p. 1689—1690). Consentiat sane Florus cum Dione (39, 40, 5; 42, 4; 43, 2, 4) contra Caesarem (III. 13, 8; 14, 4, 8), cum referat Gallorum naves statim fuisse naufragas, cum rostra sensissent (I. 45, 3). Sed praeterquam quod Dio quoque congruens cum commentariis verbo: *παχύτης* utitur (41, 1), si re vera Dio animo sibi finxisset naves statim naufragas fuisse, quid opus fuit Romanis diuturnis omnis generis decursionibus? Simul illud animadvertissent, certe hac experta re illico decertassent neque ad alia nondum experta refugissent, ut tota longaque Dionis descriptio absurda esset.

c. 44. Apud Caesarem legimus (III. 28, 1) omni Gallia pacata Morinos Menapiosque solos superfuisse et Caesarem eo exercitum adduxisse. Hoc Dio ratiocinandi suam, quam maxime in deliciis habet, rationem secutus ita reddit: ‚Caesar rerum gestarum (id est Galliae pacatae) fama eos perterriturum se arbitrabatur‘. — Morinis Menapiisque non urbes fuisse, sed solum tuguria, Dio sumpsit e verbis Caesaris (III, 29, 3): ‚vicis aedificiisque incensis‘ una cum eo, quod Caesar nullius oppidi eiusve obsidionis aut expugnationis mentionem facit, sed illos longe alia ratione atque ceteros Gallos bellum gessisse dicit (III. 28, 1). — De exitu belli cum illis gentibus gesti Dio ita narrat: *πολὺ πλείω τοὺς προσμίξαντάς σφισι τῶν Ῥωμαίων ἐκάκωσαν ἢ αὐτοὶ ἔπαθον* (44, 2). Inde Eyssenhardt (p. 761) Dionem alio fonte atque commentariis usum esse iniuria collegit. Ac primum quidem ex commentariis ipsis intellegas (III. 28, 3; 29, 1, 2, 3) Caesarem tum rem non ita bene gessisse, si respicias crebra illa, unde hoc sumas, verba: ‚dispersis nostris, — subito ex omnibus partibus silvae evolaverunt, — impeditioribus locis secuti, — paucos nostri deperdiderunt‘. Ex eo, quod Caesar omnem eam materiem, quae erat caesa,

conversam ad hostem collocabat et pro vallo ad utrumque latus exstruebat, ne quis inermibus imprudentibusque militibus ab latere impetus fieri posset (III. 29, 1), cognosci potest Caesarem metuisse excursionem, si quae altera ab hostibus fieret, priore autem militibus eius haud paulum allatum esse detrimenti. Altera in parte ne Dio quidem (de iusta autem clade minime cogitat), verum tradit. Nam Caesar non nisi silvarum densitate et continuatione imbrium coactus exercitum reduxit (Dio 44, 2; Caes. III. 29), Morini autem postea non victorum speciem praebent non ausi resistere (Dio 39, 51). In diiudicanda autem causa, cur hac in re a commentariis discrepat, non assentiam Petschio (II. p. 19) opinanti Dionem eo negligentiae progressum esse, ut ipsum contrarium eius, quod Caesar vellet significare, intelligeret. Potius causa repetenda est et ex eius studio res exaggerandi (eo magis, quod contrariis oppositis: ἐκάκωσαν — ἔπαθον ad elaboratam quandam concinnitatem pervenit) et ex odio quodam Dionis adversus Caesarem, quod autem quam haberet vim supra (p. 43) dictum est. Quod autem Jelgersma (p. 26—27) contendit: ‚ubicunque Caesar eventum non commemorat, aut dicit aequo Marte esse pugnatum aut confitetur se paucos e suis amisisse, hisce omnibus locis Dio propemodum semper et ubique contendit Romanos esse victos aut permultos ex eis caesos esse‘ hoc parum mihi videtur ad demonstrandum a Dione in eiusmodi rebus exsequendis nullum alium fontem esse adhibitum. Nam eodem iure dicat quis ex eo ipso, quod Dio in eiusmodi proeliorum exitu describendo plerumque a Caesare discrepet, manifestum esse eum altero fonte esse usum. Singulae enim talium narrationum res diligenter sunt spectandae, et, id quod hoc quidem loco Jelgersma fecit, argumentis confirmandum est Dionis narrationem abhorrere a veritate. Re vera Dionis adversus Caesarem odium alicuius esse momenti, manifestum est; sed pluris certe aestimandum

est eius studium quacunque ratione dicendi artificia atque ornamenta consectandi. Quod maxime apparet ex eis, quae dicit 39, 42, 4 et 43, 1, 2. Hoc loco quamquam ei similiter occasio oblata erat (cf. Caes. III. 14, 5: tela missa ab Gallis gravius acciderent) tamen ea uti noluit, sed ipsum contrarium dicit, ne facultatem ornamenta sua expromendi [1]) sibi demeret.

c. 45. Dio verbis: *(Τιτούριος Σαβίνιος) τὰ μὲν πρῶτα καὶ πάνυ τὸ πλῆθος αὐτῶν κατεπλάγη* (45, 1) rem magnopere auget, etsi Caesar tradit exercitum magnasque copias ab hostibus coactas esse (III. 17, 2) magnamque praeterea multitudinem undique convenisse (III. 17, 4), Titurium autem cum tanta multitudine hostium nisi aequo loco aut opportunitate quadam data sibi dimicandum non esse existimasse (III. 17, 7). Sed causa huius rei non tam odium illud, cui Jelgersma hoc quoque loco multum tribuit (p. 40), esse mihi quidem videtur, quam illa, de qua iam supra (Dio 39, 1, 4, [p. 38]) egimus, Dionis consuetudo nonnulla semper uno eodemque modo facta esse sibi fingentis. Hoc loco adductus illa consuetudine re vera Sabinum hostes metuisse tradit. Ex ea ipsa re natum est, quod falso addit: *ὥστ' ἀγαπᾶν ἂν* (Titurius Sabinus) *τό γε ἔρυμα διασώσηται,* ad quod Caesar quoque eum adducere potuit narrans Crassum tantam opinionem timoris praebuisse, ut iam ad vallum castrorum hostes accedere auderent (III. 17, 6). Sed ut hostes castra aggrederentur, optavit quidem Sabinus, quippe qui idoneo omnibus rebus loco ea posuisset (Caes. III, 17, 5); Dio autem ipse sibi contradicit, cum infra (45, 3) nulla rerum commutatione facta hic quidem Caesarem rursus secutus dicat Sabinum hostes illexisse, ut castra oppugnarent. Secundum ea, quae antea dixerat, Sabinum facit deinde animum colligentem. Hac in

[1]) cf. Melber, Der Bericht des Dio Cassius über die Schlacht des D. Brutus gegen die Veneter, p. 296.

re verba: *αἰσθόμενός σφας θρασύτερον μὲν ἀπὸ τούτου διακειμένους* (45, 2) respondent cum verbis Caesaris: ‚ut hostibus in contemptionem Sabinus veniret‘ (III. 17, 5). Verba: *οὐ μὴν καὶ τῷ ἔργῳ δεινοὺς ὄντας, οἷα που οἱ πολλοὶ τῶν βαρβάρων ἐν ταῖς ἀπειλαῖς πᾶν τῦ φοβερὸν διὰ κενῆς ἐπικομποῦσιν* (45, 2) et sunt eiusmodi, ut facile ea rerum scriptorem, rhetorem, provinciae praefectum invenisse arbitreris, et ex eis sumi potuerunt, quae aqud Caesarem sequuntur: ‚fere homines id, quod volunt, credunt libenter‘ (III. 18, 8) quaeque Dio suo more reddidit.

A Sabino illum Gallum vespere missum esse, ex commentariis non apparet. Praeterquam quod Dio aptissimum ad perfugiendum tempus vesperum esse putabat, hoc ei inde colligere licuit, quod in commentariis (III. 18, 4) perfuga hostes docet non longius abesse, quin proxima nocte Sabinus clam e castris exercitum educat et ad Caesarem proficiscatur. Dio enim tradit ex ipso illius adventu hostes impetum fecisse eosque usos esse celeritate ob eam rem, ut Romanos nocte profecturos praevenirent.

Dio tradit hostes cibo potuque repletos impetum fecisse (45, 4). Quod in hac narratione maximam partem ab ipso ficta ultro de suo ornandi causa addidit, ut, qua fuerint Galli temeritate, eluceret atque emineret. Caesaris verba: ‚laeti, ut explorata victoria‘ (III. 18, 8) exornandi causa latius dilatavit. Verba: *ἔδει γὰρ μηδὲ πυρφόρον τῷ λόγῳ αὐτῶν σωθῆναι* (45, 4) ut ipsa per se proverbii locum obtinentia addita, ita ad verbum hoc loco ab Herodoto descripta ea esse apparet: Herod. VIII, 6: *ἔδει δὲ μηδὲ πυρφόρον τῷ ἐκείνων λόγῳ ἐκφυγόντα περιγενέσθαι.* Similiter Dionis verba: *μὴ καὶ φθάνωσι φυγόντες* respondent cum verbis Herodoti: *καὶ ἔμελλον δῆθεν ἐκφεύξεσθαι.* Ut hic, ita postea Dioni Herodoti locus quidam ante oculos versatus esse videtur dicenti Gallos arbores lignaque secum tulisse, ut Romanos etiam concremarent. In mentem ei venit Herodoti

lib. I. c. 66, ubi barbari eadem victoriae spe elati catenas secum ferunt, ut victos statim vinciant, et ipse rem secundum Caesarem arborum mentionem facientem mutavit. Utique autem Dio illud de suo addidit Gallorum iactantiam atque superbiam quam maxime illustraturus. Nec minus dubium est, quin id sit absurdum atque risu dignum, ut, quid hac de re sentiat Micalella scire cupiam, qui hac in parte Dionis fontem tantis effert laudibus, ut eum hoc ex illo sumpsisse haud facile fateatur, altera in parte, ne totam suam argumentationem privet fundamento, Dionem nonnulla de suo addidisse non potest concedere.

Pugnam ipsam describens Dio in priore parte sequitur Caesarem. In altera a commentariis diversa: *καὶ τοὺς πρώτους ἐκπλήξας κατήραξε κατὰ τοῦ πρανοῦς ἅπαντας κἀνταῦθα αὐτοὺς ἐν τῇ ἀναστροφῇ περί τε ἀλλήλοις καὶ περὶ τοῖς ξύλοις σφαλλομένους κατέκοψεν* (45, 5—6) utitur rursus consuetudine sua, qua nonnulla semper uno eodemque modo tradit (ut nos dicere solemus: nach einem gewissen Recept), quam rem iam supra (Dio 38, 33, 3, p. 25—26) significavimus et infra omnia eiusmodi colligentes disseremus. — Id denique, quod exeunte hoc capite nonnulla de Gallorum animis eodem modo locoque atque Caesar (III. 19, 6) exsequitur, iam Jelgersmae iure documento erat (p. 41) eum commentariis esse usum.

c. 46. Discrepat Dio a commentariis, cum dicat: *προσεποιήσατό* (Crassus) *τε αὐτοὺς δεδιέναι, καὶ καταφρονηθεὶς οὐχ ὑπηγάγετο μὲν οὐδ᾽ ὣς ἐς χεῖράς οἱ ἐλθεῖν, ἀδεῶς δ᾽ ἐς ὕστερον ἔχουσί σφιν προσέβαλεν ἐξαίφνης ἀνέλπιστος* (46, 3). In hac quoque narratione singulis in rebus paene contraria commentariis (III. 23—24) eandem, quae paulo ante nobis occurrit, consuetudinem sequitur. Dio ex commentariis novit, non illico signa esse collata. Cuius rei causam similiter atque alias (cf. 39, 1, 4, p. 38; 39, 45, 1, p. 46) Romanorum studium hostes ad impetum faciendum alliciendi eorumque metus simulationem

affert. Qua re fit, ut Galli Romanos contemnant et — aliis eiusmodi locis eos re vera aggrediantur laeti ut explorata victoria, sed incauti ac subito praeter expectationem a Romanis opprimantur. Dio autem meminit e commentariis hoc loco Romanos fuisse aggredientes; quam ob rem res secundum commentarios quidem vertit, cetera autem omnia retinet, ut, cuius rei admodum nihil apud Caesarem reperias neque Jelgersma causam invenit (p. 42), Romanos inducat subitum ac repentinum impetum facientes. Sequuntur apud Dionem duo loci, ubi, de qua re iam saepius disputavimus (p. 43), Caesaris quoque res gestas auget oratione. Nihil eiusmodi dicit missa tela ex superiore loco non frustra accidisse (III. 25, 1), altera in parte, cum Caesar tradat vix quartam Aquitanorum partem esse relictam (III. 26, 6), Dio ita dicit: *ἐκεῖνοι πάντες ἐφθάρησαν* (46, 4).

c. 47. Non ita diligenter Dio brevitatem in excerpendo consectatus dicit Usipetes ac Tencteros Rhenum transgressos esse, et quod a Suebis opprimerentur et quod a Gallis arcessiti essent (47, 1). Rhenum sane secundum etiam commentarios (IV. 1, 2) transierunt, quod a Suebis complures annos exagitati bello premebantur et agricultura prohibebantur, a Gallis autem invitati sunt ‚ut a Rheno latius discederent' (IV. 6, 3). — Veritatem egreditur Dio, cum tradat Germanos initio pollicitos esse libenter domum se regressuros (47, 2), cum apud Caesarem legamus (IV. 9, 1) eos Caesaris responsum ad suos se relaturos dixisse et re deliberata post tertium diem reversuros. — Juniores Germanorum Romanos aggressos esse Dio inde collegit, quod postea (Caes. IV. 13, 4) seniores ad Caesarem veniunt sui purgandi causa, quod contra atque ipsi petissent, proelium pridie commissum esset, eo magis, quod illud de adolescentium ferocia facile cogites. Quodsi deinde Dio aliter ac Caesar (cf. IV. 12, 1: ‚quinque milia') paucos Romanorum equites fuisse tradit, more suo numerum cer-

tum omnino neglexit (cf. Melber p. 67—68) et, quod veri simillimum ei videbatur, elegit, eo magis, quod hoc optime conveniebat cum: *κατεφρόνησαν αὐτῶν* (47, 3), id quod maxime in deliciis habet.

c. 48. Simili modo atque supra (38, 31, 4) ubi egit de Helvetiorum legatis (*καί τι καὶ ἐλπίδος ὑπετείνατο* [Caesar]), Dio de suo minime decedens a vero neque discrepans cum commentariis addidit Caesarem Germanis se mox responsurum promisisse. Ut, quomodo Germani repentino Romanorum impetu perturbati sint, melius persequatur, ornandi causa addit eos oppressos esse meridiantes, quod et inde ei licuit colligere, quod mane (Caes. IV. 13, 4) Germanorum legati in castra Romana pervenerant et dum hi ad aggrediendum se parant, meridies fere adesse poterat. — Ea, quae Dio tradit de causis, quibus commotus Caesar Rhenum transgressus sit: *τούς τε ἱππέας ἀπόντας τότε . . . . πέμψας ἐξῄτησεν, οὐχ ὅτι καὶ ἐκδοθήσεσθαί σφας προςεδόκησεν, οὐ γάρ που οὕτως οἱ πέραν τοῦ Ῥήνου τοὺς Ῥωμαίους ἐφοβοῦντο, ὥστε καὶ τὰ τοιαῦτα αὐτῶν ἀκούειν, ἀλλ' ὅπως ἐπὶ τῇ προφάσει ταύτῃ καὶ ἐκεῖνον διαβαίη* (48, 4). *αὐτός τε γὰρ ὁ μηδείς πω πρότερον τῶν ὁμοίων οἱ ἐπεποιήκει, δεινῶς πρᾶξαι ἐγλίχετο* (48, 3) profecta sunt ex studio eius intimas rerum causas investigandi ac plane consentiunt cum eo, quod sibi de Caesaris ambitione excogitavit quodque nobis iam supra in bello contra Helvetios et Ariovistum gesto saepius occurrit. Eiusmodi autem res minime docent Dionem alterum fontem adhibuisse neque aliud quidquam, quo argumenta nostra reffellantur. Nam invenire Caesarem in rebus gerendis praecipue gloria ductum esse, haud difficile erat ei, qui totam eius vitam ante oculos haberet positam. Ceterum altera quoque de causa (ut Romanos a Gallia arceret) Caesarem Rhenum transisse refert, ut ne Dio quidem huic ius potestatemque transgrediendi fuisse neget.

Quae Dio memoriae prodit de eventu totius expeditionis: *διέβη μὲν τὸν ποταμὸν γεφυρώσας, εὑρών τε τοὺς Σιγάμβρους ἐς τὰ ἐρυμνὰ ἀνακεκομισμένους καὶ τοὺς Σουήβους συστρεφομένους ὥς καὶ βοηθήσαντάς σφισι ἀνεχώρησεν ἐντὸς ἡμερῶν εἴκοσι* (48, 5) minime, id quod Rauchenstein (p. 35) contendit, discrepant cum commentariis. Dio enim breviter more suo summam rerum gestarum refert, qua in re, si commentarios inspexit, aliis verbis uti ne poterat quidem. Comprobari non potest, quod Rauchenstein hoc loco verba non talia accipere vult, qualia sunt, sed ad ea interpretanda id, quod Dio infra de altero Rheni transitu affert: *καὶ ἔπραξε μὲν οὐδὲ τότε οὐδὲν, ἀλλὰ καὶ διὰ ταχέως φόβῳ τῶν Σουήβων ἐπανεχώρησεν* (40, 32, 2) adhibere. Num Dio a legentibus postulat, ut eorum, quae multo infra sequuntur, causa de usitata verborum vi decedant? Potius inde, quod Dio in altero transitu describendo dicit *οὐδὲ τότε οὐδὲν ἔπραξεν (ἀλλὰ διὰ ταχέως τῶν Σουήβων φόβῳ ἐπανεχώρησεν)*, utriusque igitur expeditionis exitum eundem fere fuisse censet, colliges eum illo quoque loco, etsi nonnulla a commentariis aliquid discrepantia addit, nihil aliud significare voluisse quam hic, ubi eum a Caesare minime dissentire apparet.

c. 49 et c. 50 cum nihil rerum ad bella Gallica pertinentium complectantia abhorreant a proposito, liceat mihi omittere.

c. 51. Dio tradit Caesarem locum ad appellendum idoneum non nactum promunturium quoddam in mare procurrens circumvectum esse. Hoc sumpsit e Caesaris verbis: ‚in omnibus collibus expositas hostium copias armatas conspexit‘ (IV. 23, 2) — ‚cuius loci haec erat natura atque ita montibus angustis mare continebatur, uti ex locis superioribus‘ e. c. (IV. 23, 3) — ‚infra aperto ac plano litore naves constituit‘ (IV. 23, 6). — Caesaris verbis: ‚praemisso equitatu et essedariis‘ (IV. 24, 1) adductus Dio cogitatione sibi finxit Britannorum prius alteram partem proelium commisisse. Cum autem apud

Caesarem de altera nihil iam inveniat, eam quoque advenientem proeliantemque inducit (51, 3).

Dio cum aliter atque Caesar tradat (51, 3) Britannos Morinos nonnullos ad Caesarem legatos misisse, id, quod hac de re in commentariis legerat (IV. 27, 1) commiscuit cum eo loco, ubi Caesar Morinorum legatos ad se venisse narrat (IV. 22, 1.)

c. 52. Cum Caesar plane dicat unam legionem frumentatum esse missam (IV. 32, 1), Dio consuetudine sua verbo, quod latius patet, τινες utitur. Etsi deinde in pugna descripta ex ipsis commentariis similiter atque aliis eiusmodi locis facile cognoscas Romanorum rem in summo fuisse discrimine eosque rem male gessisse (cf. Caes. IV. 32, 3 sqq.: suos ab hostibus premi atque aegre sustinere — 4: ex omnibus partibus tela conici — 5: depositis armis in metendo occupatos subito adorti paucis interfectis reliquos incertis ordinibus perturbaverant .... circumdederant — IV. 34, 1: quibus rebus perturbatis nostris — timore — Caesar auxilio veniens satis habet se suo loco sustinere, proelium committere non ausus in castra se recepit), Dio praeterea more suo rem oratione in maius extulit. Falso Dio tradit hostes castra ipsa, quae quantopere fuissent communita paulo ante (52, 2) ipse dixerat, aggressos esse. Hanc ad rem adductus est perversa interpretatione verborum Caesaris: ‚ad castra venerunt‘ (barbari) (IV. 34, 5).

Dionis verba: οὐ μέντοι καὶ ἐς ὁμολογίαν ἦλθον πρὶν πολλάκις σφαλῆναι (52, 2) sunt tam incerta tamque vaga, ut, quid eis vellet significare, ne ipse quidem scivisse et modo rationem quendam ad proximum transgrediendi consectatus esse videatur. Secundum enim commentarios (IV. 36, 1) Britanni miserunt legatos eodem die nullis aliis cladibus acceptis. Ex eo quoque cognoscas Dionem rhetorum praeceptis ductum Gallorum non solum, sed Caesaris quoque res gestas oratione auxisse.

Causas denique, cur Caesar in Galliam regressus esset, Dio omnes sumpsit e commentariis.

Dio l. 40, c. 1—11; 31—41. Caes. b. g. V—VII.

Dio c. 1. Alteram Caesaris in Britanniam expeditionem narrare Dio ita incipit, ut, quid ipse de ea sentiat, expromat, eiusque causas describat ea usus formula, quam maxime in deliciis habet quaque quam penitus res noverit, superbo quodam animo demonstrat: *πρόφασιν μέν — ἔργῳ δέ.* Quae dum facit, idem satisfacit eis, quae, ubi de ipsius excerpendi ratione iudicat, a res scripturo desiderat: *καὶ γὰρ καὶ παίδευσις ἐν τούτῳ τὰ μάλιστα εἶναί μοι δοκεῖ, ὅταν τις τὰ ἔργα τοῖς λογισμοῖς ὑπολέγων τήν τε ἐκείνων φύσιν ἐκ τούτων ἐλέγχῃ καὶ τούτους ἐκ τῆς ἐκείνων ὁμολογίας τεκμηριοῖ* (46, 35, 1). Illis verbis: *ἐς τὴν Βρεττανίαν αὖθις ἐπαιρώθη, πρόφασιν μὲν ὅτι μὴ πάντας τοὺς ὁμήρους, οὓς ὑπέσχοντό οἱ, ἔπεμψαν, νομίζοντες αὐτόν, ὅτι διὰ κενῆς τότε ἀνεχώρησε, μηκέτι αὖθίς σφων πειράσειν, ποιησάμενος, ἔργῳ δὲ δεινῶς τῆς νήσου ἐφιέμενος, ὥστε εἰ μὴ καὶ τοῦτο ἦν, πάντως ἂν ἄλλην τινὰ σκῆψιν εὑρεῖν* (1, 2) nihil aliud prodit quam quod iam saepissime, velut in Helvetiorum et Ariovisti bello describendo, tradidit, hoc uno addito, ut idem referat ad expeditionem in Britanniam factam.

c. 2. Id quod Dio narrat Britannos quaecunque pretiosa habuerint, contulisse in silvas vicinas, apud Caesarem non reperitur. Eyssenhardtio autem, qui hanc discrepantiam ideo afferre videtur (p. 762), ut demonstret falso Caesarem tradere (V. 9, 4) Britannos a Romanorum equitatu pulsos quodammodo fugientes atque vi coactos in illa, quae forte iam antea fuerant, munimenta se recepisse, sed re vera secundum Dionis narrationem ad ipsum defendendum ea construxisse eodemque omnia sua contulisse, hoc opponam: caruisse Dionem illo consilio et hic quoque consuetudinem suam nonnulla semper

uno eodemque modo narrandi secutum esse (cf. 39, 44, 2: *καὶ τὰ τιμιώτατα ἐς τὰ λασιώτατα τῶν ὀρῶν ἀνασκευασάμενοι*). Cui rei quantopere inserviat Dio ex hac quoque re eaque vel minima intellegas. — Minus diligenter Dio tradit Britannos arbores cecidisse caesasque exaggerasse et ita vallum funditus exstruxisse. In commentariis enim scriptum est locum eos nactos esse egregie et natura et opere munitum, quem domestici belli, ut videbantur, causa iam antea praeparaverant (V. 9, 4). Dioni haec omittenti ille solum locus, quo Caesar omnia complexus dicit: ‚nam crebris arboribus succisis omnes introitus erant praeclusi‘ (V. 9, 5) ob oculos versatur. Qua in re ablativus instrumenti absoluti ablativi vim tenere ei videtur. Hac re eum non ita dissentire cum vero apparet. Certe enim Britanni munimenta temporum decursu partim collapsa denuo firmaverunt.

Nihil eorum, quae apud Dionem sequuntur: *ἔπειτα τοὺς προνομεύοντας τῶν Ῥωμαίων ἐλίπουν. καὶ δὴ καὶ μάχῃ τινὶ ἐν τῷ ψιλῷ ἡττηθέντες ὑπήγαγόν σφας ἐκεῖσε κατὰ τὴν δίωξιν, καὶ συχνοὺς ἀνταπέκτειναν* (2, 2) legimus apud Caesarem. At ne ea quidem ex altero fonte hausta esse videbimus, sed contra adumbratam atque incertam reddere imaginem singulis in partibus etiam falsam rerum sine commentariis obscurarum. Ac primum quidem Dionis descriptio abhorret a vero. Ut enim veri simile non est eos acie decertasse, qui paulo ante pugnam veriti post illud vallum se recepissent, ita desideramus apud Dionem idoneam conclusionem. Britanni secundum Dionis narrationem castris se tenent, Romani in haec verum aut iustum impetum non fecerunt, neque magis iustam cladem acceperunt, neque signa vertunt aut Britannos de loco movere conantur; nihil denique est, unde, qualis fuerit illo loco pugnandi exitus, intellegas: Romani adhuc castris prope ad vallem se tenent, Britanni in illo vallo versantur — et illico sequitur impetus a Britannis in Caesaris *νεώριον* factus. (Quibus si paulo ante su-

periores discessissent, ad impetum faciendum nec Romanarum navium clade neque auxilio sociorum opus fuit [Dio I, 3]). — Quomodo autem incidit Dio in hanc miram narrationem? Primo Caesaris verba: ,ipsi ex silvis rari propugnabant‘ (V. 9, 6) falso interpretatus est. Nam cum secundum verbi vim is propugnet, qui e loco quodam, quem haudquaquam relinquit, pugnat, id est tela iacit, Dio hoc verbum falso ita intellegit, ut Britannos pugnantes e *munimentis suis procurrisse* existimet. Hac in re facillime incidit in id, quod eo rerum statu fieri solet: ,*pabulantes* Romanos vexant‘. Qua cum re Dio memoria repetens coniungit ea, quae Caesar (V. 15, 1—2) dicit: ,nostri omnibus partibus superiores fuerint atque eos in silvas collesque compulerint; sed compluribus interfectis cupidius insecuti nonnullos ex suis amiserunt‘, haec consuetudine sua exaggerans. Res denique apud Caesarem descriptas magnopere confudit, quo eo adductus est, quod illic (V. 15, 1—2) res eodem fere statu sunt atque paulo ante hoc, de quo modo agimus, loco.

Dio, quomodo apud castra navalia proelio decertatum sit, his verbis narrat: *ἔπειτα δὲ διιστάμενοι καὶ ἐκεῖνά (τὰ ἅρματα) τε παρεξιέντες καὶ τοὺς παραθέοντας ἐς τὰ πλάγια βάλλοντες ἀνίσωσαν τὴν μάχην* (2, 4). Cuius rei etsi nihil in commentariis legimus, tamen ex his sumpta est. Dio enim recte iudicavit de Caesaris verbis: ,(Britanni) per medios (nostros) audacissime perruperunt‘ (V. 15, 4), et infra: ,milites nostros minime aptos esse ad huius generis hostes, quod ab signis discedere (= *διίστασθαι*) non auderent‘ (V. 16, 1), id est, quod ausi non sunt illud agere, quo uno contra illos essedarios res bene geri poterat: intercapedinem inter ordines facere illosque a tergo et a lateribus aggredi. Dio id, quod a Caesare de pugnae exitu traditur quodque hac una periodo continetur: ,Illi plurimis submissis cohortibus repelluntur‘ (V. 15, 5) brevissimum atque incomptissimum ratus eo utitur ad suam orationem exornandam.

c. 3. Falso Dio exponit altera pugna exorta Romanorum peditatum a Britannis fusum esse. Magna usus in excerpendo celeritate atque levitate verbisque: ‚ab signis non abstinerent‘ (Caes. V. 17, 2) male intellectis quodammodo de signis Romanorum agi existimat. Cum autem, ut iam supra vidimus, hoc peditatui, illud equitatui tribuere studeat, hoc quoque loco male rem gestam esse solis a peditibus, bene solis ab equitibus tradit.

c. 4. Caesarem nullam exercitus partem in Britannia reliquisse Dio ideo proprie refert, ut habeat, unde et suam expositionem ducat et praeclare transeat ad ea, quae sequuntur. Deinde elato quodam animo rectissime se res coniecisse quodammodo profitetur.

Sane hoc loco Florus quoque dicit: ‚contentus his (= Dio: ἠγάπησε τοῖς παροῦσι) . . . . revectus est (I. 45, 19). Sed aliquid eiusmodi facillime cum omnibus offertur, tum rhetoribus Floro et Dioni, qui more suo causas quoque quaerit, ut, si ludi cuiusdam discipulos transitum Rheni describere iubeas, sine dubio in eventu illustrando pars quaedam eisdem vel similibus verbis utatur.

c. 5. Quae Dio contrita a se formula: ἔλεγον μεν — τὸ δ᾽ ἀληθές usus de Eburonum seditione tradit, sicut omnia eius generis repetenda sunt a studio eius res rerumque causas investigandi. Omnia cetera satis congruunt cum commentariis.

c. 6. Falso Dio tradit Cottam Sabinumque profectos esse vespere. Neque enim ad tantam mentis caecitatem progressos eos esse putes, ut locorum ignati in ipsis hostium finibus noctu iter facerent. Rectum solum id est, quod apud Caesarem scriptum est prima luce eos esse profectos. Excerpsit autem hoc Dio temerarie e commentariis V. 32, 1: ‚hostes posteaquam ex nocturno fremitu vigiliisque de profectione eorum senserunt‘, quae verba pro levitate sua ita intellexit, ut putaret hostes profectos illos esse e nocturno fremitu

sensisse, id est illos noctu castra movisse. Accedit, ut ipsa per se nocturna itinera maxime ei placeant, quibus narrationem iucundiorem reddat — Ea, quae sequuntur, Dio minus diligenter describit. Secundum enim eius narrationem Ambiorix Sabinum, ut eum servaret, sua sponte ad se vocasse videtur, secundum autem commentarios Sabinus ad Ambiorigem mittit, qui, ut sibi parcat, eum orent. Ut hoc loco, ubi, quomodo res se habuerit, non multum interest, levitate Dio adductus est, ut rem narrando leviter corrumperet, ita certe etiam supra eo loco, ubi de Caesaris cum Ariovisto colloquio agens eodem utitur verbo: *μεταπέμπεσθαι*, ut, sicut hoc loco, ne illo quidem nobis liceat, inde, id quod Micalella fecit, quidquam colligere.

Nimirum mortem Sabini aptam occasionem illuminandi orationem Dio putavit. Praecipue oratio instructa oratoriis antithetis ab eo ficta est (cf. *τοιάδε μέντοι ὄντες πῶς τηλικούτων ἡμῶν ὄντων ἄρχειν ἐθέλετε;* [6, 2]).

c. 7. Hoc in capite plurima Dionis cum commentariis tam mirum in modum consentiunt, ut illum hoc ex fonte hausisse nemo sit qui iure neget. Dionis verba: *καὶ ἀπώλλυντο πολὺ πλείους τῶν βαρβάρων ἅτε καὶ πλείους ὄντες* (7, 3), si ipsa per se contempleris, maxime absurda esse nemo adhuc animadvertisse videtur. Num, quo plures a partibus quibusdam stant, eo plures in eis cadere necesse est? Minime. Hic Dio brevitatem sectatus male reddidit Caesaris verba: ‚(qui dies hunc habuit exitum), ut eo die maximus numerus hostium vulneraretur atque interficeretur, ut se sub ipso vallo constipaverant recessumque primis ultimi non dabant‘ (V. 43, 5). Eiusmodi autem ipsae res documento sunt Dionis fontem fuisse commentarios. E verbis: ‚quanto erat in dies gravior atque asperior oppugnatio et maxime, quod res ad paucitatem defensorum pervenerat‘ (Caes. V. 45, 1) Dio sua sumpsit: *οἱ δὲ δὴ Ῥωμαῖοι μήτε ἄλλως πολλοὶ ὄντες*

καὶ ἐλάττους ἀεὶ γιγνόμενοι ῥαδίως περιεστοιχίσθησαν (7, 3). Rhetorica autem antitheta appetens ipse addit hostes pro abundantia suorum, si quos amisissent, ne sensisse quidem (cf. Caes. V. 42, 4: ‚qua quidem ex re hominum multitudo cognosci potuit‘).

c. 8. Id, quod Caesar tradit (V. 45, 1) in dies graviorem atque asperiorem fuisse oppugnationem, Dio suo modo exornat rem rursus ita describens, ut fieri solet: ‚In tam insperata obsidione non satis frumenti suppeditabat (quod cum in omnibus fere obsidionibus cernas, exempla afferre supervacaneum sit), nemo erat, qui auxilio veniret, vulnera propter inopiam rerum necessariarum curare non poterant‘. Ad hoc ultimum commentariis quoque adductus est: ‚magna parte militum confecta vulneribus‘ (V. 45, 1).

Apud Dionem porro legimus Nervium illum, qui Caesari obsidionis nuntium afferebat, propter beneficia accepta Romanis bene voluisse, cum apud Caesarem nihil scriptum sit nisi a prima obsidione ad Ciceronem illum profugisse (V. 45, 2). Dio miratus in communi defectione hunc unum Nervium (Caes.: unus) in Romanis castris versatum esse causam de suo addit, nimirum eandem quam antea, ubi quibus rebus adducti Romani Ambiorigi benevolentiam simulanti fidem praestiterint exponit: ‚beneficiis Romanis obligatus erat‘. Hac ex re ipsa per se exigua denuo perspicuum est semper et ubique Dionem rerum causas atque seriem investigare, altera in parte cavendum esse, ne alterius fontis vestigia eiusmodi res arbitremur. Velut in

c. 9 Grasshof (p. 20) minime iure commotus est, ut propterea, quod Dio solus tradidit, qua de causa Caesar equitem quendam e sociis, non Nervium illum ad Ciceronem misisset, alterum fontem suspicetur. Dio enim ipse a se quaerit, quibus causis Caesar adductus sit, ut illum Nervium, quamquam quam deditus Romanis esset, modo re docuerat, non remitteret; timuisse eum

tradit, ne animum mutaret. Similem deinde causam consuetudine sua affert, cur Caesar sociorum ipsorum equitem quendam miserit: *τὴν δὲ διάλεκτον αὐτῶν εἰδότα καὶ τῇ στολῇ τῇ ἐκείνων σκευασθέντα* (9, 2). — Quod Dio, id quod apud Caesarem scriptum non est, refert, Caesarem alioquin, si quod secreti per literas cuiquam significaret, quartum semper ordine elementum pro eo, quod scribi debebat, expressisse, hoc e Suetonio (Caes. c. 56) sumptum esse iam Jelgersma ostendit (p. 13). Fieri paene non potuit, quin Dio mirae huius rei facile in memoria haerentis occasione oblata meminisset. Suetonius autem, quippe qui continuam belli gallici historiam non conscripserit, nobis nullo numero est.

c. 10. Hoc ex capite maxime perspicuum est, quantopere Dio saepe levissima, quam commentarii afferre ei videntur, occasione utatur, ut pro simplici Caesaris narratione singula persequatur, quae quacunque ratione exornata magis apta sint ad animos delectandos. Nihil eorum, quae apud Dionem invenimus Caesarem noctu iter fecisse, interdiu in obscuris omnino locis subsedisse, ut vel maxime inopinantibus hostibus superveniret, legimus in commentariis; hic, quod illi rei vel contrarium est, Caesarem hora circiter tertia ab antecursoribus de Crassi adventu certiorem factum eo die milia passuum XX processisse scriptum est (V. 47, 1). Neque magis ipsum per se verisimile est Caesarem nocturnum per ignotos hostium fines iter fecisse. Dio pro levitate sua verba: ‚hunc admonet, ut caute diligenterque iter faciat‘ (V. 49, 3) pertinere ad Caesarem appropinquantem et cautissimum idemque aptissimum ad animos legentium alliciendos iter esse nocturnum ratus rem ita depinxit. Nimirum illa nocturna itinera aliquantum temporis effugerunt obsidentes; qui Caesarem appropinquare docentur re non minus mira, oppidanorum laetitia; quae etsi in commentariis quoque reperitur (V. 48, 9), a Dione delectationem legentium sectante ad declarandas rerum

causas confertur. Cum autem non possit non opinari interdiu Caesarem res gessisse (inde, quod luce prima castra movit (V. 49, 5) noctu eum consedisse apparet), eum, ut rursus consentiat cum commentariis, illa ultima nocte castris se tenentem facit. — Caesaris narrationem referentis castra se, ut ab hostibus contemneretur, quam maxime contraxisse, Dio planius exponit.

c. 11. Secundum Dionem Treveri ideo bellum contra Romanos susceperunt, quod verebantur, ne in singulos defectionis auctores suppliciis a Caesare statutis a se quoque poena exigeretur. Hoc Dio, cum nullam in commentariis causam invenisset, addidit sumpsitque e verbis: ‚principibus cuiusque civitatis ad se vocatis alios territando alios adhortando' e. c. (V. 54, 1) et ‚cum (Caesar) omnem ad se senatum venire iussisset' (V. 54, 3). — Eadem causa ceteras quoque gentes commotas esse consuetudinem suam secutus tradit.

Quomodo hoc loco Dio congruat cum perochis adversus commentarios (cf. Schwartz p. 1700) equidem non intellego.

c. 31. Causa, cur Dio aliter atque Caesar seditionis auctorem Ambiorigem appellet, haec est, quod et in rebus antea gestis velut in Cottae Sabinique clade descripta et postea huius maximam esse auctoritatem vidit. — Ex Caesaris verbis: ‚interfecto Indutiomaro' (VI. 2, 1) sumit Dio, quo Treverorum seditionis causam fingat: *χαλεπῶς ἔτι καὶ τότε τῷ τοῦ Ἰνδουτιομάρου θανάτῳ ἔχοντας* (31, 2). Qua ipsa mortis Indutiomari mentione Dionem hausisse e commentariis veri simile fit, non, id quod Jelgersma censet (p. 57), dilucidum, cum etiam alter quidam auctor hoc loco facile mortem Indutiomari commemorare possit. Altera in parte hic locus aptus non est, quo adductus aliter de Dionis excerpendi ratione sentiam. Nam Dio cum suo loco nihil dicat de morte Indutiomari, hic, tamquam si mentionem eius iam fecisset, quodammodo repetens leviter eam attingit.

Antithetorum studio adductus est Dio, ut haud ita dilucide scribat Labienum habuisse orationem, qua suis metum addere videretur. Quod Jelgersma arbitratur (p. 57), stulto hoc Dionem finxisse, Dio non, quod re vera factum est, narrat, sed nihil nisi orationem ipsam per se idoneam fuisse, qua militum animi frangerentur.

Nihil scriptum est in commentariis eorum, quae sequuntur: *καὶ οὕτως ὁ Λαβιῆνος ὑπέστη τέ σφας ἐσκεδασμένους καὶ τοὺς πρώτους ἐκπλήξας ῥαδίως καὶ τοὺς λοιποὺς δἰ αὐτῶν ἐκείνων ἐτρέψατο, κἀκ τούτου φευγόντων τέ σφων τεταραγμένως καὶ ἀλλήλοις ἐμπιπτόντων καὶ πρὸς τὸν ποταμὸν ὠθουμένων (πολλοὺς ἀπέκτεινε)* (31, 6). Quomodo Dio adductus est ad hanc narrationem diversam a commentariis?

Hic denique venimus ad id, quod supra (p. 48) saepius significavimus: Hoc quoque loco Dio studium suum nonnulla saepe uno eodemque modo nulla fontis ratione habita sequitur (si germanicis verbis utimur: Er verfährt, wenn man so sagen darf, nach einem gewissen Recept): Libenter ac saepissime Dio, sive fonte suo magis minusve eo adducitur, sive non adducitur, barbarorum cum Romanis concursum ita depingit: Romani simulant se hostes timere (vel re vera interdum eos timent), — hi ob eam rem Romanos contemnunt, facile se eos devincere posse rati speque victoriae elati acriter atque temerarie impetum faciunt — Romani subito eos inopinantes opprimunt (haec omnia iam supra (cf. p. 38; 46; 48—49) vidimus) — ipsi paratissimi primos acriter accurrentes perturbant atque repellunt — barbari in proximos suos cadunt — alii super alios concidunt — omnes perturbantur atque fugantur. Haec est summa, quae aut tota aut singulis in partibus, magis minusve exornata semper atque identidem redit. Unde multarum pugnarum descriptiones diversae a commentariis vel etiam his contrariae repetendae sunt. Velut proelium illud a Caesare commissum cum Helvetiis **38, 33, 3**:

ἰδὼν οὖν τοῦτο ὁ Καῖσαρ, καὶ φοβηθεὶς τήν τε ὁρμὴν αὐτῶν καὶ τὸ πλῆθος, τῷ μὲν πεζῷ πρὸς μετέωρόν τι ὥρμησε, τοὺς δὲ ἱππέας προεβάλετο προκινδυνεῦσαί σφισιν, ἕως ἐν ἐπιτηδείῳ παρατάξῃ. τρεψαμένων τε αὖθις αὐτοὺς ἐκείνων, καὶ πρὸς αὐτὸ τὸ ὄρθιον θυμῷ φερομένων, ἐπικατέδραμέ σφισι ἐξαίφνης, καὶ ἅτε συντεταγμένος σποράδας ἐξ ὑπερδεξίων οὐ χαλεπῶς ἀπεώσατο, pugna a Labieno contra Venellos facta: 39, 45, 5—6: *πρός τε τὸ ὄρθιον προσέβαλον καὶ σπουδῇ προσανέβαινον, μηδενός σφισι ἐναντιουμένου. ὁ γὰρ Σαβῖνος οὐκ ἐκινήθη πρὶν ἐντὸς τῆς ἐπικρατείας αὐτοῦ τοὺς πλείους αὐτῶν γενέσθαι. τότε δὲ ἐπικατέδραμέ σφισιν ἁπανταχόθεν ἅμα ἀπροσδοκήτως, καὶ τοὺς πρώτους ἐκπλήξας κατήραξε κατὰ τοῦ πρανοῦς ἅπαντας, κἀνταῦθα αὐτοὺς ἐν τῇ ἀναστροφῇ περί τε ἀλλήλοις καὶ περὶ τοῖς ξύλοις σφαλλομένους κατέκοψεν.* Idem pertinet ad hanc, de qua modo agimus, narrationem; cf. verba: *ἐσκεδασμένους — καὶ τοὺς πρώτους ἐκπλήξας ῥαδίως καὶ τοὺς λοιποὺς δι' αὐτῶν ἐκείνων ἐτρέψατο — τεταραγμένως — ἀλλήλοις ἐμπιπτόντων.* Cum autem hic loco secundum commentarios (VI. 8, 6) hostes in silvas propinquas fugiant, apud Dionem in flumen pelluntur. Dio quoniam fingendi arte fertur, fonte omnino neglecto id, quod in memoriam revocat, flumen prope adesse (Caes. VI. 7, 5) confert ad narrationem apte conficiendam.

Hoc, quod statuimus, eo quoque comprobatur, quod etiam aliis locis Dio barbarorum pugnam eundem in modum depingit, velut, ubi agit de Parthorum proelio 48, 40, 2—3: *οἱ δὲ δὴ Πάρθοι ἔκ τε τοῦ πλήθους σφῶν καὶ ἐκ τοῦ προνενικηκέναι ποτὲ καταφρονήσαντες πρός τε τὸν γήλοφον ἅμα τῇ ἕω . . . . προσέλασαν, καὶ ὡς οὐδείς σφισι ἀντεπεξῄει, καὶ πρὸς τὸ ὄρθιον αὐτὸ προσέβαλον. καὶ αὐτοὺς ἐνταῦθα ἤδη ὄντας οἱ Ῥωμαῖοι ἐπιδραμόντες ῥαδίως πρὸς τὸ κάταντες ἐτρέψαντο. καὶ . . . . τὸ δὲ δὴ πλεῖον ἐν τῇ ἀναστροφῇ περὶ ἀλλήλους, οἱ μὲν ἤδη τετραμμένοι, οἱ δὲ ἔτι προσιόντες, ἐσφάλησαν*; et 49, 20, 1—2:

ἐπειδὴ γὰρ οὔτε τὸν ποταμὸν διαβῆναί σφας ἐκώλυσεν, οὔτ' αὖ διαβᾶσιν εὐθὺς ἐπέθετο, μαλακίαν τέ τινα καὶ ἀρρωσίαν τῶν Ῥωμαίων κατέγνωσαν, κἀκ τούτου πρὸς τὸ ἔρυμα αὐτῶν καίπερ ἐν μετεώρῳ ὂν προσήλασαν ὡς καὶ αὐτοβοεί σφας αἱρήσοντες. ἐπεκδρομῆς τε αἰφνιδίου γενομένης κατά τε τοῦ πρανοῦς οὐ χαλεπῶς, ἅτε καὶ ιππεῖς ὄντες ἀπεώσθησαν, κἀνταῦθα ταραττόμενοι δὲ πρός τε τὸ ἀνέλπιστον, καὶ περὶ ἀλλήλοις ὑπὸ . . . . ἡττήθησαν.

Hunc in modum illa, quae Dio aliter tradit ac Caesar, satis bene e medio tulisse mihi videor.

c. 32. Dio quoniam hoc loco Ambiorigem ut ducem atque auctorem ob oculos posuit, illico etiam fugae eius Caesarisque eum persequentis mentionem facit, cum in commentariis non nisi post expeditionem germanicam denuo exsistat. Hanc narrationem oratoriis artibus instructam (cf. *ἄλλοτε — ἄλλῃ . . . καὶ πολλὰ κακουργοῦντα καὶ ζητῶν καὶ διώκων*) quaeque bene adiungitur, Dio iam hoc loco afferre sibi licere censuit, eo magis, quod in commentariis legerat Caesarem propterea quoque in Germanos profectum esse, ne ad eos Ambiorix receptum haberet (VI. 9, 2).

De altera expeditione Caesaris in Germaniam Dio ita scribit: *καὶ ἔπραξεν οὐδὲ τότ' οὐδέν, ἀλλὰ καὶ διὰ ταχέων φόβῳ τῶν Σουήβων ἐπανεχώρησεν* (32, 2). Brevitatem sectatus caret perspicuitate. Verba: *φόβῳ τῶν Σουήβων* non satis sunt dilucida, quaeque cum latissime pateant, hac in parte omnia significent, altera nihil. Quae scribens quid Dio cogitaverit, non satis apparet, veri simile est nihil eum eis complexum esse. Certe si, id quod nonnulli existimant, in fonte suo de clade Caesaris legisset, eam plane ac dilucide exposuisset; nunc autem consuetudine sua vagam causam attulit. Ut secundum commentarios quoque de timore quodam Caesaris cogitari potest non ausi id est verentis, Germanos paludibus tutos aggredi, ita certe Caesar optat, ut in ipsis Rheni ripis a Suebis invadatur. Altera in parte Suebi, si re

vera Caesarem proelio vicissent, certe longe aliter se gessissent et plus ausi essent. Si denique Dionis exaggerandi studium respicias, hoc ex loco auctoris cuiusdam Caesari adversarii vestigia minime colligi possunt.

Perfalsam rationem secutus Eyssenhardt (p. 762) Dionis narrationem brevissimam atque obscuram nominat, infra hanc Caesaris verbis utique multo clarioribus anteponit. Infra quoque Eyssenhardt Dionis rationem scribendi plane ignorat. Ob hoc ipsum, quod Dio causas regrediendi in commentariis allatas (VI. 29) non satis graves existimat, ipse quandam addit, sed universe et minus clare, propterea, quod ipse nihil certi cogitatione comprehendit. Mirum porro est, quod Eyssenhardt ne Dionis quidem narratione, quem ‚praeclaris fontibus uti' contendit (p. 760), hoc loco, ubi illius verba non ita apta ad argumenta sua esse ei videntur, contentus est. — Falsissime Dio causas perscrutatus addit Eburones, quorum fines Caesar vastabat, nihil hostiles in Romanos se praebuisse. Iam pridem oblitus esse videtur illis antea continuum bellum cum Romanis fuisse; hunc in errorem eo incidit, quod cum causas quaereret, illo ipso loco nihil seditionis Eburonum legerat.

Quod deinde discrepans a commentariis (‚hoc eo ipso tempore *casu* Germani equites interveniunt', VI. 37, 1) prodit Sugambros exspectasse, dum Romani frumentatum irent, illud Caesaris negligens sumpsit hoc e verbis: ‚redisse primo legiones credebant, *quas longius discessisse ex captivis cognoverant*' (VI. 39, 4) et haec ita, ut refert, intellexit. — Capitis autem finem ita facit, ut hic quoque verbis *πρόφασιν μὲν, τὸ δ' ἀληθὲς* usus quibus rebus Caesar ad agendum ductus sit exponat.

c. 33. Minus diligenter Dio propterea, quod toto bello Arverni primas partes tenent, his etiam interfectos Romanos tribuit, cum secundum commentarios Carnutes hos occidant (VII. 3, 1). — Vercingetorigem eos, qui

ad eum transierant, fovisse, planum est neque quidquam nisi verba, quae Dio propterea addit, ut eius, quod Caesar exhibet, antitheton adipiscatur.

c. 34. Malorum Avaricum obsidentium descriptio apud Dionem partim exaggerata est. Oppidanos rem frumentariam, quae Romanis a sociis remotioribus supportaretur, diripuisse, Dio ut miseriam augeret, de suo addidit. Cum secundum commentarios (VII. 14—15) Arverni iam ante initam obsidionem vicos urbesque circumsitas incendant, Dio hoc postea fieri industria prodit, ut universam magnae obsidentium inopiae imaginem reddat. Quae omnia ut faceret quibus causis est commotus? Ut haberet, quod iure verba illa apta ad oratorium studium afferret: *ὥστε πολιορκεῖν τὴν πόλιν τοὺς Ῥωμαίους δοκοῦντας τὰ τῶν πολιορκουμένων πάσχειν.* Quae et ipsa per se, ut sunt oratoria forma, a Dione augendi quoque studio dedito addita esse apparet et e Thucydidis opere sumpta (cf. Thucyd. IV. 29, 2: *οἱ γὰρ στρατιῶται . . . . μᾶλλον πολιορκούμενοι ἢ πολιορκοῦντες* et VII. 11, 4: *συμβέβηκέ τε πολιορκεῖν δοκοῦντας ἡμᾶς ἄλλους . . . αὐτοὺς μᾶλλον τοῦτο πάσχειν.* Qualia quomodo Dio in deliciis habeat inde perspicuum est, quod saepius ea in medium profert, velut 49, 27, 1: *τότε σύμπαν πολιορκεῖν δοκῶν τὰ τῶν πολιορκουμένων ἔπασχεν*; 56, 12, 5: *ὥστε τὸν Τιβέριον πολιορκεῖν σφας δοκοῦντα αὐτὸν τὰ τῶν πολιορκουμένων πάσχειν.*

Expugnationem urbis narrans Dio saepius dissentit a Caesare. Sed ne hic quidem Dionem pendere ex altero quodam belli gallici scriptore videbimus. Dioni has res tradenti ea, quae Thucydides de Plataeis a Peloponnesiis obsessis dicit (III. 20—23), ob oculos versata esse apparet. Eo adductus est a Caesare dicente se magno coorto imbre tempestatem non inutilem ad consilia sua arbitratum esse (VII. 27, 1). Quod illo Thucydidis loco obsessi excursionem contra obsidentium munimenta fa-

cientes rem bene gerunt, Dio convenientiam cum re appetens hoc commutavit (eo magis, quod (VII. 26, 1—2) de Gallorum consilio legerat noctu subito erumpendi). Dionis verba: *τὰς οὖν νύκτας, ὁπότε χειμὼν εἴη νοτερός, τὰς μὲν ἐπάλξεις ἀπέλειπον* (III. 21, 4) Dio ita reddit, ut, quae apud Thucydidem aliquantum temporis fieri solebat, id certo die factum esse tradat: ‚Tempestatis vi coacti obsidentes in tentoria se receperunt (cuius rei nihil scriptum est apud Caesarem)'. Cum autem hic aliter atque apud Thucydidem impetus fiat in obsessos, Dioni, ne ceteris Thucydideis excerptis careat, addendum est: ‚Hostes quoque coacti sunt, se recipere'. Et deinde omnino sequitur Thucydidem: *ἀπελθόντων γὰρ αὐτῶν ἀπὸ τῶν ἐπάλξεων* idem est atque supra; eis, quae sequuntur: *οἱ Ῥωμαῖοι προσέβαλον ἐξαίφνης αὐταῖς (ταῖς ἐπάλξεσι) ἐρήμοις ἀνδρῶν οὔσαις* respondent apud Thucydidem: *προσέμισγον πρὸς τὰς ἐπάλξεις εἰδότες ὅτι ἔρημοί εισιν* (III. 22, 3). Quod Caesar dicit hostes re nova perterritos muro turribusque deiectos esse (VII. 28, 1) Dio brevius arbitratus suo more pluribus reddit: *καὶ πύργον τινὰ παραχρῆμα πρὶν καὶ αἰσθέσθαι τοὺς πολεμίους τῆς παρουσίας σφων ἑλόντες ἔπειτα καὶ τὰ λοιπὰ οὐ χαλεπῶς ἐχειρώσαντο* (34, 4). Extrema omnino congruunt cum commentariis.

c. 35. Indiligenter Dio tradit Caesarem ratibus Elaverum fluvium transgressum esse (Caesar: isdem sublicis, quorum pars inferior integra remanebat [VII. 35, 5]). De nonnullis aliis huius capitis rebus iam supra est disputatum.

c. 36. Quae Dio prodit de obsidione Gergoviae, minime apta sunt, quibus commoveamur, ut melius de illius excerpendi ratione iudicium faciamus. Haec ut omnibus in rebus commentariorum vestigia praebent, ita totum confusum atque conturbatum est, ut sine commentariorum auxilio harum rerum imaginem cogitatione fingere non possimus.

Congruenter cum Caesare Dio disserit de opportunitate Gergoviae. Sed iam consuetudine sua ubique causas atque consilia inquirendi adducitur ad colligendum inde: *ὥστε καὶ μένειν αὐτοῖς κατὰ χώραν ἀσφαλῶς ὑπάρχειν καὶ ἐπικαταθέουσι πλεονεκτεῖν τὰ πλείω* (36, 1), quod fieri tantum potuisse (cf. *ὥστε* c. Inf.) non, id quod solet, re vera factum esse hoc loco modestissime contendit. Ea, quae pertinent ad castra Romana, reperiuntur etiam in commentariis (VII. 36). Non minus consentiunt cum Dionis verbis: *οἱ δὲ δὴ βάρβαροι, ὡς καὶ ὑπερδεξίων ὄντες, τό τε στρατόπεδον αὐτοῦ κατεθεῶντο* (36, 2) apud Caesarem: ,(collibus a Vercingetorige occupatis) qua despici poterat' (VII. 36, 2) et ,ut erat a Gergovia despectus in castra' (VII. 45, 4). Sed iterum Dio inde colligit: *καὶ ταῖς καταδρομαῖς ἐπικαίροις ἐχρῶντο* (36, 2), quod, etsi impetus Caesare absente in castra Romana factos intellegit, si quam late ea verba pateant respicias, Dio addidit. Caesaris verba: ,neque ullam fere diem intermittebant, quin equestri proelio interiectis sagittariis . . . . periclitaretur' (VII. 36, 4) Dio convenienter cum eis, quae antea descriptae sunt, rebus more suo exornat, cum dicat: *εἴ τέ πῃ περαιτέρω τοῦ καιροῦ προχωρήσαντες ἀνεκόπτοντο, δι' ὀλίγου αὖθις ἐντὸς τῆς ἐπικρατείας σφῶν ἐγίγνοντο* (36, 3). Quae sequuntur: *οἱ γὰρ Ῥωμαῖοι οὐδένα τρόπον ἐφ' ὅσον οἵ τε λίθοι καὶ τὰ ἀκόντια ἐξικνεῖτο* congruunt fere cum VII, c. 41. Falso, certe obscure tradit, conclusionibus rursus usus: *προσβαλὼν (Καῖσαρ) μέρους μέν τινος ἐκράτησεν αὐτοῦ, ὥστε καὶ ἐντειχίσασθαί τι ῥᾴω τε ἐκεῖθεν τὴν ἐπὶ τἆλλα ἔφοδον ποιεῖσθαι.* Quod denique Caesar tradit se Gergoviam vi capere conatum rem male gessisse (VII. 44—51) quodque summum est, Dio pro negligentia sua cum cladibus a militibus absente Caesare acceptis confudit atque commiscuit.

c. 37. Falso Jelgersma contendit (p. 64) Dionis verba: *(Λιταουικος διεπράξετο προσταχθῆναί οἱ) πρὸς τὸν*

Καίσαρα ἀπαγαγεῖν τινας ἐπὶ συμμαχίᾳ (37, 1) contraria esse Caesari, qui numerum decem millium affert (VII. 37, 7). Neque enim Dio verbo *τις* usus significat paucos fuisse, sed consuetudine sua vero numero neglecto rem in incerto relinquit. Hoc denique capite Dio nusquam aliquantum dissentit cum commentariis.

c. 38. Discedens a veritate Dio haec prodit: *ὁ οὖν Καῖσαρ ἐπεχείρησε μὲν παραχρῆμα ἐπ' αὐτοὺς* (Aeduos) *στρατεῦσαι, μὴ δυνηθεὶς δὲ διὰ τὸν ποταμὸν τὸν Λίγρον ἐπὶ Λίγγονας ἐτράπετο. καὶ ὁ μὲν οὐδὲ ἐκεῖνα κατώρθωσεν* (38, 3, 4). Iam Jelgersma admonuit (p. 65—66) et Caesari tum quoque, si in Lingonum fines profectus esset, Ligerum transgrediendum fuisse, et Lingones secundum commentarios (VII. 63, 7: ‚amicitiam Romanorum sequebantur‘) fecisse cum Romanis. Hunc in errorem Dio eo incidit, quod verba: ‚quam ad spem multum eos adiuvabat, quod Liger ex nivibus creverat, ut omnino vado non posse transiri videretur‘ (VII. 55, 10) et ‚cum Caesar in Sequanos per extremos Lingonum fines iter faceret‘ (VII. 66, 2) respiceret. Certe Dionis verba carent veritate.

c. 39. Cum secundum commentarios (VII. 62 sqq.) Vercingetorigis contra Allobroges impetus post Labieni victoriam fiant, Dio rem mutavit. Si respicias Dionem pro studio suo hic quoque causam afferendi dicere *καταφρονήσας ὁ Οὐερκιγγετόριξ τοῦ Καίσαρος ἐξ ὧν ἐπταίκει* (39, 1) (cuius rei nihil legimus in commentariis) — nimirum rem ita ut alias describentem — putandum est eum ordine de industria mutato victoriam Romanorum non ante has res accidisse narrare, ne dubites, an vera sit causa ab eo semper atque identidem allata.

Superlatione usus Dio dicit Caesarem a Vercingetorige circumdatum esse. Quomodo autem eo adductus est? Ut potestatem haberet afferendi suam narrationem,

quae continetur partim eis rebus, quas semper uno eodemque modo describit, partim oratoriis contrariis. Periclitantem ipso rerum discrimine ad fortitudinem atque audaciam stimulari, iam supra nobis occurrit (39, 5, ubi Dio Serbium Galbam ab Alpium gentibus oppressum esse exsequitur), altera in parte Vercingetorigi nimiam superioritatis fiduciam incommodo fuisse Dio, ut antitheton adipisceretur, de suo addidit. Id quod Caesar tradit multum contulisse ad victoriam Germanos (VII. 67, 5), eo comprobandum sibi esse existimat, quod corporum eorum magnitudinis admonet.

c. 40. Obsidionem Alesiae Dio in universum eodem fere modo atque Caesar (VII. 68—89) tradit, praeterquam quod ubique causas afferendi studium expromit et praeterea hic quoque obsessorum eruptiones bis factas confundit cum extrema pugna. Cum autem de fortuna mulierum liberorumque ex urbe pulsorum nihil inveniat in commentariis, huic rei ipsi per se aptae ad animos alliciendos non minus ad id aptam conclusionem addit: *καὶ οἱ μὲν οὕτως ἐν τῷ μέσῳ τῆς πόλεως καὶ τοῦ στρατοπέδου, μηδετέρων σφᾶς δεχομένων, οἰκτρότατα ἀπώλοντο* (40, 4).

c. 41. Quidquid apud Dionem invenitur de Vercingetorige, paululum eius scriptum est in commentariis (VII. 89). Sed ob hoc ipsum, quod simplicem hanc conclusionem haud dignam existimat magno illo viro, Dio hoc loco frena permittens depingendi vi narrationem tradit oratoriam, mirificam atque fabulosam. Haec certe fide ac veritate caret; contra veri simile non videtur Vercingetorigem, superbum illum Gallorum principem et qui ad id tempus tantopere abhorruit ab ignavia et secundum commentarios (VII. 89) Gallorum arbitrio permittit, utrum ipse se interficiat an Romanis tradat, tam supplicem a Caesare veniam petiisse.

Contulimus igitur Dionis Cassii de bello gallico narrationem cum Caesaris commentariis, quos quidem ipse conscripsit, singulis in partibus.

Ut nunquam ad alterum Dionis fontem refugere coacti sumus, sed unum eius fontem fuisse commentarios demonstravimus, ita in exhibendis causis, unde singulis in rebus diversitates quaedam profectae essent, Dionis excerpendi ratio exstitit laude minime digna.

Ac praecipue quidem ducitur Dio in rebus conscribendis oratorio studio. Quo commovetur, ut omnis generis res verbis exaggeret: cf. p. 24, 41, 42, 43, 45, 46, 49, 52, 55, 64, 65, 68; ipse de suo oratoria ornamenta, imprimis antitheta, addat: cf. p. 29—30, 31—32, 33, 39, 45, 46, 47, 50, 52, 55, 56, 57, 58, 59, 60, 61, 63, 64, 65, 67, 68—69; interdum prorsus scriptorum Graecorum loca imitetur: cf. p. 43, 47—48, 65—66. Accedit, ut, cum quomodo singulae res inter se cohaereant semper atque identidem investiget, nonnulla de suo addat, quibus ut sententiarum rationi causisque rerum gestarum perscrutandis eum operum dare apparet, ita nunquam novi quidquam affertur: cf. p. 7, 11, 12, 14, 19, 25, 27, 28—29, 30, 33, 34, 38, 39, 40, 44, 50, 53, 56, 58, 60, 64, 66, 67, 68, 69. Deinde qua erat in excerpendo negligentia ac levitate, Dio multa minus diligenter in suum librum transtulit: cf. p. 12, 16, 18, 25, 28, 35, 37, 39, 40, 41, 42, 49, 50, 52, 54, 55, 56, 57, 59, 60, 63, 64, 66, 67, 68, 69. Qua in re eo denique progreditur, ut nulla fontis sui ratione habita nonnulla semper uno eodemque modo facta esse sine iudicio tradat: cf. p. 25—26, 32, 34, 38, 40, 46, 48, 50, 53—54, 55, 56, 58, 59, 60, 61—63, 68.

Haec nostra sententia nititur eo quoque, quod Haupt multum atque optime in Dionis opere versatus partim de aliis eius partibus iudicavit: ‚Das Sündenregister Dios ist schon nach den Untersuchungen von Fabricius, Rei-

marus, Wilmans ein so reichhaltiges, dass jenes aus flüchtiger Lektüre seiner Vorlage hervorgegangene Versehen des Dio (significat H. eum locum, quo Dio Orgetorigem proficiscentium Helvetiorum ducem fuisse narrat) gar nicht in Betracht kommt'[1]) et alio loco: ,Mit Recht wird die ausserordentliche Flüchtigkeit Dios, seine Sucht nach Übertreibung und sensationeller Darstellung, sein Mangel an selbständiger Kritik hervorgehoben'[2]).

---

[1]) Jahresbericht zu Dio Cassius, Philol. XLI, p. 154.

[2]) Censura libri conscripti ab H. Grossio: ,der Wert des Geschichtswerkes des Cassius Dio für die Geschichte des Jahre 49—44 v. Chr.' facta ab Hauptio; Philol. Anz. XV. p. 497.



Index librorum.

R. Wilmans, De Dionis Cassii fontibus et auctoritate, Berol. 1836.

H. Köchly-W. Rüstow, Einleitung zu G. J. Cäsars Commentarien über den gallischen Krieg, Gotha 1857.

Franz Eyssenhardt, Bemerkungen zu der Frage über die Glaubwürdigkeit von Cäsars Commentarien: Fleckeisens Jahrb. f. klass. Philol., p. 755 sqq.

Max Eichheim, Cäsars Feldzüge gegen die germanischen Belgier, neue Randglossen, Neuburg a. D. 1864.

Max Eichheim, Die Kämpfe der Helvetier, Sueben und Belgier gegen G. J. Cäsar, neue Schlaglichter auf alte Geschichten, Neuburg a. D. 1866.

Max Grasshof, De fontibus et auctoritate Dionis Cassii Cocceiani, Bonnae 1867.

G. Thouret, De Cicerone, Asinio Pollione, C. Oppio rerum Caesarianarum scriptoribus: Leipz. Studien z. klass. Philol. I., p. 324 sqq.

D. G. Jelgersma, De fide et auctoritate Dionis Cassii Cocceiani, Lugd. Batav. 1879.

Hans Rauchenstein, Der Feldzug Cäsars gegen die Helvetier; Zürich 1882.

H. Haupt, Jahresber. z. Dio Cassius: Philologus XLI; XLIII.

Heller, Recens. Rauchenstein: Philologischer Anzeiger XIV, p. 307 sqq.

Hugo Gross, Der Wert des Geschichtswerkes des Cassius Dio für die Geschichte der Jahre 49—44 v. Chr., Berlin 1884.

G. Haupt, Recens. Gross: Philologischer Anzeiger XV.

Petsch, Die historische Glaubwürdigkeit der Commentarien Cäsars vom gallischen Krieg nach gegenwärtigem Stande der Kritik, Glückstadt I. 1885; II. 1886.

J. Melber, Der Bericht des Dio Cassius über die gallischen Kriege Cäsars, I: Die Kriege mit den Helvetiern und gegen Ariovist, München 1890.

J. Melber, Über die letzten Kämpfe gegen Sext. Pompeius 36 v. Chr. (Abhandl. f. W. v. Christ, München 1891.)

J. Melber, Des Dio Cassius Bericht über die Seeschlacht des D. Brutus gegen die Veneter (comment. Woelfflin., München 1890.

Ernst Kynitzsch, De contionibus, quas Cassius Dio historiae suae intexuit, cum Thucydideis comparatis, Lipsiae 1894.

M. A. Micalella, La fonte di Dione Cassio per la guerre gallische di Cesare, esame critico delle guerre contro gli Elvezi e contro Ariovisto, Lecce 1896.

P. Ercole, Recens. Mic.: Riv. di filol. XXV. p. 125 sqq.

Schwartz, Cass. Dio: Pauly-Wissowa, Real-Encyklopädie d. kl. Altert. III. 1899. p. 1700 sqq.

N. Vulic, Cäsars Kriege mit den Helvetiern und Ariovist bei Dio Cassius; Blätter f. d. bayer. Gymnasialschulw. a. 1900, p. 221 sqq.

Désjardins, Géographie historique et administrative de la Gaule Romaine II.

Mommsen, Römische Geschichte III.

Vita.

Natus sum Joannes Will Bambergae prid. Id. Jan. anni MDCCCLXXVII patre Georgio vestifice, quem abhinc tres annos mortuum esse maxime doleo, matre Margaretha, e stirpe Walter; fidem profiteor catholicam.

Per tres annos Bambergae elementis imbutus adii ibidem gymnasium regium (1886); maturitatis testimonium adeptus (1895) per duo semestria scholis lycei Bambergensis, quae quidem pertinebant ad philosophiam, interfui, deinde per octo semestria Monachii humanitatis studio me dedi. Duabus examinis pro facultate docendi partibus superatis (1900) seminario gymnasii Erlangensis traditus sum.



